













1796.

1. Grabowstein, Augustus Maximus: De vita et sanitate foetuum et neonatorum conservanda.
2. Grabe, Georgius Augustus: De relocatione et reconditione facite operarum maxime quosque et in quod tempus iusta censatur.
3. Huppenstedt, Conradus Wilhelmus: De jure circa fructus fundi aperti ante ejus reconditionem maxime intentum expectativarii.
4. Kessel, Fredericus Wilhelmus: De causis obligationis excedenda instrumenta in genere a meris vindictis immunitatis rei ~~et~~ ab additionis onere.
5. Martini, [Christi] R[udolph] [Friedrich]: Antidivinum praedictorum Vorlesungen.
6. Rantzel, Edwardus: Quaevis jure Hamburgensi in causis mercatoris editas et suprema imperii tribunalia potestas.

7. Martini, Christoph. Reind. Vietor.: De iuste suspendendi  
iudices de expensis seu von Ausschlagung des Kosten-  
panels.
8. Schroeder, Christianus: Principia doctrinae de  
bonorum confiscatione quatenus ea cum stricto iure  
naturali tam aequitatis atque utilitatis exstis  
ni suntur.
9. Schuetze, Johann Wilhelm: Origines et fata doctrinae  
de egressu liberorum ex potestate parentum
10. Starch, Carolus Fredericus: De commerciorum favore  
in iure tam publico quam privato Francofurtensi conspi-  
cuis.
11. Tittmann, Carolus Augustus: De ambitu et limitibus  
iuris supremae inspectionis e natura rei et princi-  
piis juris publici tam universalis quam Germanici-  
rite ponentis



12. Wattenwyl, <sup>de</sup> de Malesmurt, Cor Lud. Observations  
quandam de re judiciaria Bernensi.

1797.

1. Boettcher, G<sup>o</sup>tfriedus Henricus: Corlo Traugott Schlob  
Schoenemann . . . summus utriusque juris honores  
. . . in eum collatos gratulatur . . . Proponitur inter-  
pretatio legis 63. 87. 8. 9. D. ad S. C. Trebell.
2. Drees, Uelvicus Fides: De acceptationis, quam  
vulgo vocant, necessitate in donationibus mortis  
causa
3. Gebhardi, Corlus Ludv. Rudolphus, L. C. C. D. C.: Principia  
generalia de concursu
4. Tenisch, Christianus Fridericus Jacobus: Quatenus a proco-  
gata per conventionem jurisdictionem recedere  
liceat sine ad l. 18 §. de jurisdictione.

5. Reiche, Franciscus Arnoldus: Exploratio quaestione  
quae nam sit vis investiturae eventualis, accedente  
vasalli principalis consensu impetratae?

6. Schoenemann, Carol. ~~Frang.~~ Traug. Gollus: De foro in ca-  
sis e concordatis decidendis competente. pars I.



DE

1796,1

1

VITA ET SANITATE  
FOETVVM ET NEONATORVM

CONSERVANDA

DISSERTATIO

---

QVAM

PRO GRADV DOCTORIS  
MEDICINAE ET CHIRVURGIAE

PVBlice DEFENDET

AVGVSTVS HENRICVS GRABENSTEIN

GOTTINGENSIS

DIE XXII. OCTOBR. MDCCXCVI.

---

GOTTINGAE

TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.





DE  
VITA ET SANITATE  
LOTTVM ET NEONATORVM

CONSERVANDA  
DISSERTATIO

---

AVAM  
PRO GRADU DOCTORIS  
MEDICINAE ET CHIRURGIAE  
PABLO DEZSZEIT

---

AVGUSTVS HENRICHVS BRÄNNSTEIN  
GOTTINGENSIS  
THE XVII OCTOBRE MDCCCXX

---

GOTTINGAE  
H. W. B. M. P. L. A. S. S. T. O. G. G.





ILLVSTRISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS

DOMINO ET DOMINO

GENEROSISSIMIS

DOMINIS

AVGVSTISSIMI ET POTENTISSIMI

MAGNAE BRITANNIAE

REGIS

PRINCIPIS ELECTORIS BRVNSVICO-LVNEBVRGICI

REL. REL. OMNIBUS

STATVS MINISTRIS

ET

CONSILIARIIS INTIMIS



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

CAROLO RVDOLPHO AVGVSTO

*Comiti de KIELMANNSEGGE*

REGIS STATVS MINISTRO

CAMERAE REGIAE PRAESIDI.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

GOTTHELFIO DIETERICO

*Lib. Bar. de ENDE*

REGIS STATVS MINISTRO.



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

CHRISTIANO LVDOVICO AVGVSTO

*Lib. Bar. de ARNSWALD*

REGIS STATVS MINISTRO

CONSISTORII ECCLESIASTICI PRAESIDI.

ILLVTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

GEORGIO AVGVSTO

*Lib. Bar. de STEINBERG*

REGIS STATVS MINISTRO.



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO, DOMINO

ERNESTO LVDOVICO SVLLIO

*Lib. Bar. de LENTHE*

REGIS STATVS MINISTRO.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

CLAVS *Lib. Bar. von der DECKEN*

REGIS STATVS MINISTRO.



MVROGIMGAVIRISQVTS 308AH  
HABCE STADIONISIVCADEMIGORVM

DIGNISSIMIS ET MERITISSIMIS

PATRIAE PATRIBVS

RELIGIONIS ET IVSTITIAE

DEFENSORIBVS VIGILANTISSIMIS

MVSARVM TVTORIBVS OPTIMIS

AVCTOR



HASCE STUDIORVM ACADEMICORVM

PRIMITIAS

SVMMA QVA PAR EST REVERENTIA

OFFERT

DETECTORIBVS

MASATAM TUTORIBVS OPTIME

AVCTOR.



*De vita & sanitate foetuum & neonatorum  
conservanda.*

I. **U**ti totum hocce uniuersum quod nos ambit; ita etiam corpus nostrum tot tantisque divinae sapientiae documentis instructum est; praecipue autem istae, quae generationi inserviunt, partes omnem cuiuscunque admirationem merentur.

II. Nemo hucusque hoc negotium sibi explicare potuit, nemo, etsi sagacissimus rerum naturae percrutator, unquam explicaturus est. Obscurum adhuc oculis adiacet, & quamquam eruditissimorum virorum studia multum circa hoc valuerint; quamquam studiis istorum indefessis, qui hoc potissimum saeculum ornarunt & nunc ornant, multum in detegenda de generatione historia debeamus; attamen persuasum mihi habeo, nos adhuc desiderare, quae forsan lumen clarius in hoc negotio fundere possint.

III. Conceptio fit post saecundum coitum; formatur, nutritur embryo, mox homo futurus. Destinata autem conceptioni sunt genitalia foeminea, valde ab istis virorum discrepantia. Primum inter has partes locum uterus obtinet, viscus maximi momenti, quod malis innumerofis ansam praebet; quare Hippocrates uterum omnium maiorum muliebrum, Helmontius tragocdiarum autorem, Fr. Hoffmannus intestinum sanitatis hostem appellauerunt. In hoc viscere  
A  
formatur



formatur secundum leges naturae foetus, & ita instructum est, ut per statutum sibi tempus retineatur, donec, finita graviditatis periodo, quae mensem circa decimum accidere solet, excludatur.

IV. Parentes sani liberos sanos procreant; aegroti, debiles semina malorum multorum proli suae inferunt.

Fortes creantur fortibus & bonis;

Est in iuvenis, est in equis patrum

Virtus; nec inbellem feroces

Prognerant aquilae columbam. Hor. carm. Lib. 4. od. 4.

Intercedit plerumque parentibus cum natis similitudo quaedam non modo quoad formam, habitum corporis & faciei lineamenta; sed etiam quoad animi indolem; & uti de hac constat; ita etiam semper ad morbos, dispositionem quandam hereditariam transferri, credibile est.

V. Dispositio ad morbos quoscuque cuiuslibet quidem inest; veruntamen dispositio hereditaria ab ista abhorret, quod haec a parentibus ad infantes, saepe multos per annos absque labe aut functionum perturbatione sopita latens, deferatur, donec, causa quadam occasionali expergescens, ocius feriusve, statuto saepius tempore, in morbum manifestum, inde nasci solitum, prorumpat.

VI. Infantes igitur vegetos expectare licet, quando ambo parentes nulli malo hereditario seu recens acquisito obnoxii, robore potius pollent, si dietam largam obtinent & flore aetatis castam venem exercuerunt.

VII.



VII. Ea ergo dispositio quaedam hereditaria; cuius ope liberi morbos a parentibus fuscipiunt. Nihilominus tamen nonnulli, praecipue recentiores medici morborum hereditariorum existentiam prorsus negarunt, ut Louis, \*) Medicus \*\*) & alii. Sed si caeteram infantum cum parentibus similitudinem, si faciem, imaginem istorum referentem, si habitus corporis, linguae & adeo etiam animae virtutum alternam imaginem adspicimus; credo, haud amplius fore, qui de veritate morborum hereditariorum dubitent.

VIII. Quae cum ita sint, permultis iniuriis foetus expositi sumus, quarum omnino tria genera adducere licet:

1) quae a parentibus ad liberos deveniunt, nec evitari possunt; verbo, morbi hereditarii;

2) quae ad primam conformationem foetui imprimuntur; (adest vitium primae formationis) & a prioris generis iniuriis distingui debent;

3) Iniuriae externae. Haec solummodo avertere in parentum potestate est, harum matres potentes.

De primi generis iniuriis quid valeat, iam antea paucis dixi, & paulo inferius plura adferere liceat. Alterius modi vitia in prima conformatione committuntur nec culpa parentum inferuntur.

Tertii

\*) Ant. Louis, diff. sur les maladies heredit. a Paris 1759.

\*\*) Casim, Medicus, Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneywissenschaft, Zürich 1764.



Tertii generis laesiones, de quibus unice fermonem iniicere in animo est, ad varia temporis spatia accidere solent:

- 1) tempore graviditatis,
- 2) ad partum, &
- 3) in educatione & cura infantum perversa.

## S E C T I O I.

### *De vita & sanitate foetuum conservanda.*

IX. Foetus est vel sanus vel morbosus, & culpa est vel parentum vel embryonis. Si parentum culpa est, in genere omnia ista evitentur, necesse est, quae sibi, & inde foetui, & proli posteræ nocivi quid ferre possunt; & ea, quae huc spectant, paulo fufius tractare, hic opus, hic labor.

X. Laesiones omnes a quibus foetus damna accipit, quadruplicis generis sunt :

- 1) ob dietam gravidarum incongruam, vitae genus perverfium foetui nocetur.
  - 2) laesiones, quarum est habitus corporis matris depravatus, variomodo, pro vario cultu, a naturali abhorrens, causa;
  - 3) quae per parentis animi pathemata; & denique
  - 4) per iactum, ictum, percuffionem caet. gravidis inferuntur & inde foetui nocent.
- 1) De diæta gravidarum.

Jam



5

XI. Jam olim philosophorum & medicorum erat & nunc adhuc est, ut causas corruptionis corporis nostri hodiernae disquirant, & rite omnibus pensitatis, uno quasi ore luxuriam & modum vivendi, uti ad nostra tempora mos est, fontem conclamant. Quantam efficaciam victus in corporis nostri functiones & totam fabricam habeat, cuilibet notum, cogitanti, quod sit inter Europae & aliarum terrae partium incolae discrimen; quantum alter ab altero discrepet. Victus simplicissimus Yslandorum, Ostiacorum, Caffrarum, Indorum caet. corpora dura reddit & robusta; Europaeorum corpora potissimum laxa, imbecillia.

XII. Cum ideo corpora nostra minus dura sint, quam ista aliarum gentium, quae laboribus diuturnis & victu simplici tantam adeptae sunt habitatem & sanitatem, quanta vix in uno alterove Europaeorum reperitur; nihil aliud reliquum manet, quam ut curam omnem, quantum fieri potest, in amovendis iis, quae in dies diesque corpus nostrum magis dirumpere possint, impendamus; & praecipue matrimonio coniunctis haec cura cordi esse deberet; quorum est, ut homines sanos, civitati, cuius munera suscipere destinati sunt, faciles procreent. Parentes enim validi totam suam stirpem felicem, imo ab altera parte infelicem reddere possunt, si unus alterque eorum vitio acquisito afflicti sunt.

Quaelibet mater suam & sibi & foetui valetudinem conservet, necesse est, cum ab illa huius salus pendeat. Hoc autem fit vel matris contra semet ipsam & foetum tractatione, vel medicorum consilio; haec sunt, quae paulo propius considerare, in animo est.



XIII. Valde mihi dubium, unam eandemque dietam gravidis praescribi posse; cum cuiuscunque victus ita ab alterius discedat, ut vix duas aequaliter victu fruenter statuere queamus; sed potius cuiuslibet conditio corporis, aetas, consuetudo, idiosyncrasia caet. in rationem ferendae sunt: sic huic nocet, quod forsitan illi prodest.

XIV. Graviditas ut irritamentum in corpus agit. Multa eademque insolita hoc tempore phaenomena incidunt, quae ex eodem fonte hauriunt. Inter viscera, quae hoc irritamentum praecipue invadit, tubus intestinalis afficitur, quod symptomata, statim post conceptionem apparentia; nausea, vomitus, vertigo, syncope & alia in variis corporibus varia orientia, sat declarant; & nullum sane malum est, cuius causa graviditas non esse possit. Gravida autem haec sentiens, caveat sibi, ne molestias superaugeat, dum dietam nimis liberam exercet; imprimis autem evitet, quorum est taedium, ut omnem victum animale, lacteum, ad acrem inclinantia, spirituosa caet. Alius molestiarum fons in solitis sanguinis evacuationibus constat, dum natura superfluae humorum massae haemorrhagia, uterina periodica, emissioni adsueta, a tempore conceptionis nunc retenta, quodammodo turbatur; accumulatur sanguis; fiunt congestiones; haemorrhagiae & cum iis abortus.

XV. Quemlibet abortum haemorrhagia comitatur, cuius causa proxima totius placentae, aut partis eiusdem a fundo uteri separatio est. Praecipua causa & maxima in plethora consistit, sive sit partialis, sive universalis. Tantum ad uterum congestiones: & disquirendum nunc venit, quae hanc plethoram, seu congestiones faciant, quomodo nocivi quid foetui exinde oriatur.

XVI.



XVI. Abortus quaque graviditatis periodo accidere potest: plerumque vero circa mensem tertium & quintum oriri, experientia docuit, & variomodo mater inculpanda est; praeprimis autem abortuum causa in matrum diaeta incongrua haeret. In aliis faeminis gravidis nonnunquam est appetitus copiosus; imo praeternaturalis; in aliis tantum mediocri, interdum prorsus evanescit. Utrique summa in ingerendis cibis cura adhibenda est, ne, altera perpetuo implendo; altera nimis esuriendo sibi noceat. Nimia enim alimentorum copia gravidis insalubris, dum haec digeri iuste, in succum bonum, alibilem verti nequeant, cacochymiam faciant, quae totum nutritionis opus in foetu vitiosum reddit. Magna & perpetua ciborum appetentia corruptae bili, eius secretioni perversae auctae ansam praebere solet, & fieri haud secus potest, quum non modo graviditatis, sed etiam ciborum denuo semper advenientium irritamentum in bilis secretionem tantopere agant. Oriuntur exinde viscerum abdominalium vitia, obstructions, stases & congestiones; quibus omnibus fit, ut circulus humorum liber praepediatur, sanguis ad partem proximam debiliorem ruat, ibique maiori, quam laes est, copia fundatur.

XVII. Alteram quod spectat, perspicendum illi, ne esuriendo se & foetum laedat. Laeditur gravida, dum lymphae vitalis multa pars ad foetum abit, nec novo chylo superveniente restituitur. Nonne etiam humores circulantes suam miscelam excedant diathesinque putridam induant, quippe quae humores, detracto cibo, inficere solet? & quis quaeso ad talia foetum integrum, incolorem remanere posse, putet? Praeterea enim, quod dissolutus a principio putrido sanguis haemorrhia-



morrhagias, facilius proferat; insuper foetus nutritio vitatur, excipit hic nutrimentum exitiosum sane lethiferum.

XVIII. Neque istam malam consuetudinem silentio praeterire possum, cum ab alia parte gravidæ foetum desiderent gracilem, non plenum; existimantes, faciliori ad partum opere excludi posse: quare assidua famē hæc sua vota perficere student: ab altera autem parte vituperandum, ne aliæ nimiam voracitatem sectentur, falsa inductæ opinione, duos homines duplici victu egere. Ex his paucis elucescit, duplici in gravidis attentione nunc opus esse; cum tanto sint rerum discrimine, cum duorum hominum salutem in manibus teneant. Severitatem maximam præscribere est medici.

XIX. Ante omnia id tendendum, ut animus perpetua & æquali quiete gaudeat; quantam huius in totum corpus sit regimen, cuiuslibet notum. Quando autem vitia functionum mentem ita iam affecerunt, ut turbata gravis, vires prostratæ adiaceant; tunc causam morbi, uti pro statu corporis videtur, tollamus, necesse est. Simul autem corporis motus sueti & commodi adsint, quibus mens exhilarari videtur; & removeantur omnes animi commotiones vehementiores, quæ heu nimium sæpe! perniciem inferunt.

XX. Ex causa biliosa hæmorrhagias, abortus oriri, nullum est dubium; fordes enim biliosæ, aut quum in sanguinem abeunt; aut per consensum stases & congestiones producere possunt. Probat hanc sententiam abortus epidemici isto tempore frequentes, quo febres biliosæ grassari solent. Præsertim huc spectant, monente iam HIPPOCRATE



te \*) omnes biliosarum putridarumque febrium species, quae ortum suum in praecordiis habent, ita, ut hoc irritamento spasmodicae in abdomine stricturae exoriantur, sanguisque dissolutus vasorum fines facilius transeat.

Inter alia irritamenta gastrica, quae abortum efficere constant, etiam vermes numerandae sunt, & memorabilia abortuum a lumbricis intestinalibus exempla (van de Bosch \*\*) & van Phellum \*\*\*) adducunt.

XXI. Medium omnino tenent beati, modice viventes, prole prosperrima gaudere possunt. Hoc me ad id ducit, ut paucis diaetam & vivendi rationem, quamquam in universum, praescribere audeam, quam si gravidae sequuntur, noxii quid metuere, haud fas est.

Primum consideranda venit consuetudo, cuius ope victus alterius ab alio victu longe discedit. Sunt enim, quae per totam vitam cibis duris, flatulentis nec facile digestilibus fuerint addictae, nec noxae aliquid exinde perpessae sint, & in his nil refert, si graviditate parum a pristino victu abstinent, aequae ac nuper solani tuberossi fructibus, pane sicco, nigro, cibis farinaceis caet. vesci pergunt, quae fortassis in aliis gravissimas turbas edere possint. Interea, si medici monita adhuc aliquid valeant, haec omnia nisi deneget, diaetam tamen paulo stringat, ne foetui exinde oriatur nutrimentum grave, corporis flatui tenero haud adaptatum.

XXII. Nocet omnino nimium victus animalis usus, imprimis carnis, cuius fibrae tenaces, duriores sunt, ut caro bovina, sulinna caet.

B Prae-

\*) Aphor. L. V. Sect. 5.

\*\*) Histor. constitut. epidem. verminosae p. 104.

\*\*\*) Historia ascarid. pathol. p. 115.



Praeterea enim, quod cibi carnosī, frequenter assumti, sanguinis molem plus quam vegetabiliorum usus augeant, eius motum celeriores reddant, hunc ad putredinem quodammodo disponunt. Non a partibus istorum sum, qui usum carnis etsi modice sumtae vetent, sed potius persuasum mihi est, nullum esse alimenti genus, quod aptius in nostram naturam converti possit. Plus alit caro, quam vegetabile, quod plus in se continet alienarum partium. Haec alienior in vegetabili materia, victa sensim & subacta in animali, quod herbis & gramine victitat, fingitur reliquis expulsis ad inquilini humoris indolem; itaque bos omnino nihil aliud est, quam gramen mutatum, ex quo sanguis nascitur, qui totam corporis molem inter suppetias perennes inlaurat. Et quanto celerius nutrire necesse est, quod iam in vivo corpore tot coctionis impendia sustinuit! quid sunt iuscula illa carniū, quam elaboratissima in corpore animali materia, quae per vasa fluxit tam varii generis & ab eorum actione dotes istas accepit, ob quas ab ultima nutrientis fluidi perfectione non nisi exiguo gradu abest.

Habet igitur victus carniū commoda sua & incommoda, & earumdem ulus pro varia corporis constitutione destinari debet. Nunquam nimium vel etiam mediocre e carniū cibum permittam gravidis, quae iam fluidorum copia, succis bonis gaudent. Hae contentae sint vegetabilibus, non tantum nutrimenti continentibus; bibant aquosa, nec orgasmum sanguinis excitantia; haud raro enim ab hac plethora haemorrhagiae oriuntur, quae non nisi diaeta opposita leniri possunt.

XXIII. Quod de carniū, etiam de iusculis e carne praeparatis valet, quae partem e carne gelatinosam trahunt & proprie in alimentum



mentum sub parva adhuc virium coquentium actione abeunt. Selectio autem quaedam instituenda est, secundum quam non omne ius cui libet gravidæ præbendum sit, & optime illa tantum in statu plethorico salutaria agnosco, quæ sunt e carne vituli, pullorum, columbarum caet. præparata, quia hæc mitiorem gelatinam & nutrimentum blandius continent, quam ex alia carne facta. Nocent iuscula, quando aegre aut potius gravidæ nimis eorum usui addictæ sunt, ut ventriculum hocce liquido distendant. Actio ventriculi, qui solida maxime concupiscit, debilitatur, relaxantur fibrae & ad digerendum & concoquendum ineptæ inde fiunt.

Profunt iuscula pinguiora, quibus inopia humorum est, quæ digestionis organa laetis, fortibus gaudent.

XXIV. Dubito ullum esse, qui salutarem panis cibum gravidis vetare iusto possit, ut alimentum præstantissimum agnosco, dat robur, vires. Sicubi autem sub conditionibus multum prodest, ita etiam ab alia parte damna secum fert, & varia requiruntur, quibus fieri potest, ut panis salubrem victum offerat. Quaeritur enim, num omnique panis esca sit salutaris? Magnum mihi dubium oritur, panem nigrum recenter coctum imo etiam insiccatum proficere posse hysterics, quas forsân iam odor deterret taediumque excitat, dubito, salutarem esse ad flatulentiam propensis. Flatus valde vexantes admittit, qui foetui interdum, dum uterus a partibus adiacentibus dislentis comprimitur, molestias inferunt. Non multum præbet alimenti, quod congruæ foetus nutritioni inservire possit, nihilominus tamen non ausim, aduetis panem detrudere, & loco huius panem album, mitiorem offerre.



In univcrsum gravida tales cibos evitet, necesse est, quos flatus evolvere constat. Nihil tantam vim in systema nervosum exferit, nihil eiusdem vires adeo variat & pervertit, quam flatus. Nota sunt mala omnia, quae ex hoc fonte hauriunt, & superfluum fore, si amplius mentionem iniicerem, aestumo. Verumtamen utique in parentis potestate non est, ut flatuum evolutionem avertere possit, partim cum omnia, quae hos producant, legumina, olera caet. evitare nequeat, partim etiam ad digestionem pravam, corruptam & lenissimum, subtilissimum legumen flatus efficiat.

XXV. Hoc igitur manifestum est, vegetabilia, quibus gravidae utuntur, quam maxime mollia esse debere. Magnum cibus e regno vegetabili intercedit quoad digestionis facilitatem discrimen, & adeo, quod nutrimenti copiam spectat, inter se variant, ut summa electione opus sit.

Omnes cibi farrei prae aliis alimenti multum tenent, & in statu sano, vigore functionum naturalium, vix meliorem victum esse, credo, sed debilitatis, gravidis recusem. Massae istae e. c. farinaceae conspatae, usitatissimus inter nos cibus, laganae & alia e farina composita. quis quaeſo horum in corpore aegroti effectum nocivum ignoret? Permulti cum sint, qui sanitate prosperrima gaudeant, nec haec sufferre queant, num aegre ferre possis valetudinariis, si vomitus, diarrhoea, aut quibus malum mature non solvitur, cruditates, obstructions & alia exinde crescentia, nascantur?

Solani tuberosi fructus multum cum fructu cereali commune habent, sed ita invicem abhorrent, quod illis fit principium narcoticum quoddam



quoddam, in nervos agens, hos quasi sopiens. Negari nequit, inter utilissimas aevi nostri fruges numerandas esse, nec nisi immoderato sumtas, nocere. Sunt enim qui mane iam, ad meridianam, vespertinam horam & adeo ad plures diei vices iis vesci pergant, & quae inde foetui existant damna, ex se patet.

Olera omnia facilius difficiliusve digeruntur, plus minusve alimenti continent, & plus vel minus ventrem implent & exonerant. Quibus sunt ventriculus & intestina debilia, non facile convenient: flatibus, quos admittunt, partes vicinae, imprimis uterus premitur, spatiumque iustum foetui coarctatur. Saepius ex horum intempestivo & immoderato usu media graviditate dolores, quos dicunt spurios, ortum trahunt.

Salutaris certe semper est victus animalis cum vegetabili miscela, ut altera alteram in celeriori vel tardiori ad coctionem aequam corruptionem gradu cohibeat & moderetur.

XXVI. Haud abstinere possum, quo minus etiam de potibus, hodie usitatissimis verba quaedam faciam. Inter praecipuos caesca eminet, quam consuetudo adeo necessariam reddidit, ut carere non possimus. Ex regula omnium potuum calidorum virtutes sibi invicem similes sunt, vasa subtilissima penetrant, humores magis, quam fas est, attenuant, praecipuis gluten animale, hoc fibrarum vinculum, dissolvunt ideoque fibras debilitant. Praeter haec multa pars per cutem e corpore eliminatur, relaxantur pori cutanei, frigusque externum refrigerium facilius producit. Sed in nullo alio potu hoc magis spectan-



dum, quam in caſſea. Inundatur corpus liquido, quod nequaquam nutrimenti iuſſi medelam dare poteſt, attenuat humores, inſuper nervos quodammodo adſcit. Ineſt nempe coſſeae principii narcotici aliquid, cuius efficaciam tum clariuſ adſpicere licet, quum ut medicamento utimur coſſea. Benigna ſane eius natura in ſopientiſ doloribus, in affectionibus hyleticis & ſpasmoticis multum valet, ſed nihil ab iſta ſperandum eſt in illis, quibus dura neceſſitas & conſuetudo pro potu ordinario poſtulat & praecipue, ſi huius decoctum valde tenue, aquoſum eſt.

Videtur potus coſſeae feminis magis quam viris convenire, quippe quarum ſyſtema nervoſum, praeprimis circa graviditatis periodum, debile ſit, ad multos affectus inclinet. Inſuper etiam phlegmaticis, ad obſtructiones & alia viſcerum abdominalium vitia proclivis, commendandus, cum in hiſce ad optime digerendum opus ſit.

Tempus bibendi mane poſt ſomnum & poſt prandium opportunum eſte videtur. Poſt expergeſactionem pituitae copiam, qua, durante ſomno, digeſtionis organa imprimis ventriculus obducuntur, ſolvit, in quam ut incidens agit. Quibus ſtatim poſt prandium bibere ſolitum, ut ſtimulus vehementiorem ventriculi in cibos actionem ciet ſicque digeſtionem adiuvat. Sed ſi quid ex caſſeae uſu ſperas, fortiori tibi opus erit decocto, tenue ingeſta tantum attenuat, in maſſam pultaceam vertit. Fortius autem cum perfacile orgaſmum ſanguinis, congeſtiones efficiat, apparet, gravidis omnino ab hoc cavendum eſſe, eo magis, ſi humorum ipſa copiam ſibi moleſtam ſentit. Augetur a ſuperveniente quotidie fluidorum mole, ſanguinis copia, implentur vaſa ſanguis-



sanguifera, distenduntur, & ab onere suo se liberare contendunt; & eum non tantum consumatur, quantum denuo semper corpus ingreditur, fieri haud aliter potest, quam, ut haemorrhagarum varia exoriantur genera, haemoptysis, vomitus eruentus, & quia uterus in gravidis inter omnes partes pars debilior est, quae sanguinem maximum in se trahit, mirum nulli videri potest, quando haemorrhagiae uteri & cum iis abortus immodicum coesae potum subsequuntur.

Maiori adhuc limitatione potus, quem dicunt chocolate, concedendus, cum huic pars insuper maior aromaticorum insit. Fortiter nutrit, sanguinis molem & motum auget, accelerat, nec nisi admodum debilitatae & quibus succi boni est inopia, utantur, oportet. Praeterea etiam ructus acidus, sodam, colicam caet. exhibet.

Thea ob vim suam irritantem, excitantem, adstringentem & systema nervosum male afficientem corporis machinam ita destruit, ut malorum multorum autorem sumere fas sit. Relaxatio fibrarum ventriculi & totius corporis, nervorum debilitas, depravatio humorum circulantium tenuium in cacochymiam abientium, inter usitatissima corporis corrupti phaenomena referendae sunt, quaeque in theae potui adfuetis quotidie aspicere licet. Qualis status embryonis, e sanguine matris nutriendi, explicare sibi quisque poterit. Nihil hisce sub conditionibus facilius oritur, quam abortus. Defectus enim virium, qui crebrius abortum efficit, a calido theae potu certissime ortum ducit, quo fit, ut uterus iustum suum robur obtinere & foetum ad certam usque periodum retinere nequeat. Eo insuper, quod nervi, perpetuo in se agendo, stimulando, postea relaxentur, hi multis affe-

ctibus



Sibus exponuntur, & certissime credo, magnam morborum spasmodicorum partem, quibus sexus sequior nostro saeculo obsessus est, hoc ex fonte profluere. Videas feminarum liberos, quarum maximum gaudium in thea & coffea positum, debiles, vix pedibus incedere conantes, videas vice versa rusticorum infantes, corpora solida, densa, dura, & num tibi adhuc dubium oriatur, causam in nimia fluidorum calidorum cupiditate latere?

Spirituosorum & vinosorum quae sit in corpus potestas, quis in gravidis usus, quodammodo ex supra dictis elucescit. Spiritus vini maiori vi fibras adstringit, sanguinem ad motum rapidiorem invitat. Praeterea magnam principii phlogistici partem continet, quod sanguini ope vasorum resorbentium admixtum, detrimenti esse potest. Omnis humorum circulantium moles graviditatis tempore ad uterum determinatur, & credere fas est, quod sanguis eo rapidior ad hanc partem ruat, haemorrhagiam, nisi matri lethalem, certe tamen abortum subsequitur esse. Interdum vini adusti usus modicus phlegmaticis convenire videtur, quibus humorum circulantium lentor quidam est, quibus digestionis organa prava, corrupta, quibus ingesta sunt ad acorem inclinantia caet. & hic iuvare visus, dum flatus, ructus & alia tollit, acorem corrigit. Persuasus vero ab altera parte sum, vini adusti usum gravidis propemodum esse denegandum, cum permulta alia remedia existant, quae haec mala tollere possint, cum tot tantique ex eius abusu oriantur affectus, cum denique usus moderatus facillime in immoderatum, in abusum degeneret; quod praecipue in feminis hysteriis accidere solet, quae spasmos, dosi spiritus vini porrecta, momenta-



mentaneo leniri, haud sunt ignarae. Ex intemperantia spirituosorum mala exoriuntur, quae noxae multum foetui inferre possunt, appetentiae imminutio, abolitio, digestionis turbatio, ructus, vomitus & diarrhoeae; mox humores calefcunt, fiunt acrimoniae, solidorum destructiones, nutrimenti defectus: denique obstructions, inflammationes, suppurationes, gangraenae sequuntur.

Foetus, quo propior origini suae est, eo subtiliori gaudet corpore. In corpore gracili subtilissima ad vitam sustentandam organa, & ex eadem causa, materia nutritia, quae a matre embryoni suppeditatur, subtilissima esse debet. Sanguis ex ingestis praeparatur, & uti cibus ita chylus, uti chylus ita sanguis est. Infestantur autem humores circulantes triplici modo: 1) dum nimiam coagulabilitatem, 2) nimiam tenuitatem, & 3) acrimonias varias assumunt. Primum in spiritus vini potatoribus accidere solet, & negari nequit, in gravida, tali humorum spissitudine impleta, nutritionis opus secundum leges naturae perfici nequire. Quid foetus inde patiantur, in neonatis & paulo adultioribus aspici licet, qui sequelas detestabiles prae se ferunt. Opprimuntur gravissimis nervorum morbis, convulsionibus, epilepsia caet. & nisi mors matura vitae fines ponat, hoc statu vitam miserissimam degere coacti sunt.

Nemo est, qui vini aquarum adustarum pellentem ignoret, cum tot tantaque exempla declarent. Inveniuntur foeminae, potui spiritus vini adusetae, quae foetum ad maturitatem usque reservare prorsus incapaces sint, & causa in illius abusu latere videtur.

C

Modi.



Modicum vini usum magis laudem, quam spiritus vini, cum vino vires calefacientes, sanguinis motum rapidius pellentes, non tantae sint, quantae illi.

XXVII. Aromatum omnium vires quodammodo roborantes visae, eo autem discrimine, quod roborantium effectus longius durat, magis inhaeret. Virtutes aromaticae in parte volatili positae sunt, cuius in corpus effectus mox evanescit. Ob indolem, qua polent, circulum sanguinis celeriore reddentem, gravidis cum limitatione quadam concedi, velim, praeterea enim, quod calefaciunt & haemorrhagiis ansam praebent, diuturno eorum usui ventriculus ita assuescit, debilitatur, ut in posterum vix & ne vix quidem in digerendis cibus iis carere possit.

XXVIII. In diaeta iusto modo instituta non solum convenit, cibos secundum medici & matris iudicium & delectationem eligere; sed etiam modus certus in ingerendis cibus observandus est. Sic gravida, etsi electissimo victu utitur, tamen ob immoderantiam obesse sibi potest. Frequentes ciborum appetitus, intestinorum repletiones & distentiones, partes vicinas admodum coarctant & imprimis uterus patitur, cui in conformando foetu amplo spatio opus est.

Quae cum ita sint, gravidae non modo in ciborum selectione, sed etiam in eorum copia adsumenda sibi prospiciant, & si quando haud potuerunt, quo minus modum iustum excederent, si viscerum abdominalium vitia sequuta, tum medici consilia petant, nec multa alia, quae fortasse sui & foetus noxam spectant, ante experiantur.

XXIX.



XXIX. Haec mihi cogitanti occasio datur, ut quaedam adhuc de medicamentis, de eorum usu & abusu in gravidis adiungam.

Sunt, qui medicamentorum plurimum usum in gravidis omnino recusent, sunt, qui nimis laudent. Mea opinione iuste adhibita prodesse, aequae atque iniuste, nocere possunt. Non paucae gravidae immoderato eorum usu foetibus suis nocent, sive, ut pro roborando, ut dicunt foetu, sive pro alvo ducenda, aut pro melius digerendo frequenter sumant. Exagitantur facile humores, uterus cum proximis partibus valentius commovetur, imprimis si medicamenta calidiora, ut aromatica, aloetica, rhabbarbarina & alia, uti mos secum fert, devorantur, et nisi abortus periculum maximum exinde oriatur, certe tamen foetus & matris conditio depravetur. Alvus enim tarda sit ob mutatum intestinorum situm & multo maior metus est, ne ex soluta atque susa alvo, foetus elidatur. Quapropter omnia medicamenta fortiora, drastica dummodo a lenioribus spes adhuc & praesidium sperandum sit, vituperanda.

Perdurante graviditate multae foeminae venae sectione opus esse censent, permultae bis vel ad repetitas vices instituunt. Requiritur autem, ut sanguinis missio summa cum prudentia instituatur, & in plerisque casibus nisi nocivam, tamen superfluum fore, & in nulum alium finem admitti, quam ut consuetudini satis fiat, existimo. Nam si paulo scrupulosius rem pensitamus, longe melius est, saltem in plurimis gravidis, si sanguis retinetur, quam profunditur, quoniam non solet natura, durante graviditatis periodo, ob necessaria in foetum



tum impendia, quicquam eius eliminare. Medicum naturae ministrum nec magistrum esse, fas est, & quomodo quaeso inserviat, si eiusdem leges pervertere, si quidquam suscipere conetur, quod naturae legibus est contrarium? Profecto sanguinis missione opus non est, eo minus, quum, si nulla symptomata urgentia adsunt, imbecillitas corpori inducitur & tota oeconomia perturbatur. Non rara sunt exempla abortuum, ubi foetus ob detractum sibi alimentum, mortuus eliminatur.

Ponamus autem, in gravidis adesse plethoram veram, ponamus omnia symptomata, plethoram iudicantia urgere, quid tum? Primum igitur disquirendum est, num plethora sit vera an spuria, num orgasinus sanguinis tantum adsit multimodis effectus? Deinde num sint viscera abdominalia obstructa, vitata, indeque circuitus sanguinis turbatus? & denique aspiciendum, ane coarctatio quaedam partium mollium, qua stases in vasis sanguiferis & lymphaticis, congestiones & plethorae topicae oriri possunt, adsint? Nullo plethorae spuriae genere invento, sanguinis copiam urgere, licet credere & locus est venaesectioni. Sanguinis quidem copia venaesectione optime minuitur, sed, nisi periculum in mora sit, ablineamus, & per quaecunque alia id assequi studeamus, quod sanguinis missio praebet, & omnibus frustra tentatis, tunc demum venam secare, melius erit. Convenire sanguinis missio videtur, si symptomata omnia opprimentia cessant, pulsus mollior, tardior, pectus magis liberum sentitur, respiratio facilius fit & alia phaenomena morbosa sinunt. In genere autem de venaesectione non multum sperandum est, cum feminae ideoque & foetui rapiantur, quae nutrimento inserviant, cum naturae leges suis

carce-



carceribus sanguinem inclusum velint; nec fundere, quod meliori fini destinatum est.

Sunt, quibus abortus statuto tempore evenire solitum; hoc si gravidæ norunt, optima, ut Tissot vult, prophylaxis venae sectio, die ante instituta, est.

Laesiones, quae emesi concitanda foetui inferri dicuntur, compressione diaphragmatis, ventriculi & duodeni, actione muscutorum abdominalium fiunt, nec abstinilis haec operatio illi ad partum est, quo omnes, quae uterum ambiunt, partes, & uterus ipse tantam vim in se exerit, tantopere comprimitur, ut foetus excludatur.

Multum autem adest, ut rite indicata vomitoria foetum gestantibus, & foetibus ipsis damna inferant, cum multa exempla, de contrario suadentia, existant, cum morbi multi sint, qui non nisi emeticis datis tolli possunt. Haud inficior autem, vomitum validiorem cuiuslibet instar corporis motus partui immaturo occasionem praebere posse, sed generatim hoc minus ab emesi verendum est, cum nunquam aut rarissime a vomitu spontaneo, graviditatis haud infrequenti socio, ortum traxerit foetus praematura exclusio.

Vomitorium si gravidæ praescribere optas, attento, num adsint faeces eius generis, ut sursum evacuari sine noxa foeminae possint, num faeces iam induratae, tubum intestinalem deobstruant, & si hoc, per resolventia lenia ad turgescientiam redige. Si vomitus difficile concitandus, si deorsum agit emeticum, aut prorsus omitte, aut, si optimum e vomitu auxilium speras, dosi forti, vel in connubio plurimum



rum emeticorum, uti coniunctione tartari emetici cum oxymelle squillitico & ipecacuanha, exhibe. Plethoricis vomitoria, nisi ante vena secta, nocent, sicuti etiam quae ad haemorrhagias inclinant. Cavendum insuper gravidæ, ne statim post cibum sumtum, post ventriculi impletionem emesin excitet.

Emetica in universum non talia secum ferunt damna, qualia purgantia, esse mala, quae non nisi emeticis curentur, a copioso alvi fluxu plus esse gravidæ metuendum, iam olim Hippocratem \*) haud fugiebat. Nullum datur purgans, quod non stimulo suo, etsi lenissimo, in uterum & partes vicinas agat.

Illa prava, cui feminae addictae sunt, consuetudo, cum alvo interdum dura laborant, ventriculum statim salibus, rhabarbarinis caet. inandandi, non iniuria contemnenda est. Sed abusus non tollit usum. Nisi cacochymiam universalem e faecibus oriri, nisi uterum, foetum includentem, comprimere indeque graviter pati, optamus, curandum, ut obstructionibus medicamentis resolventibus, evacuantibus succurratur. Resolventia & evacuantia quam maxime blandia esse debent. Eminent inter haec oleosa, per os & anum ingesta, succi recens expressi herbarum chaerophylli, taraxaci, graminis caet, mel, manna, radices dauci, sifari caet. & optimum remedium in iusto corporis exercitio constat. Usum salium, rhabarbarinorum, abeticorum caet. omnino recusem, eorumque loco frictions saepius repetendas, clysteres caet. laudem. Praerogativam prae omnibus aliis purgantibus clysteribus cedo, quorum in graviditate nulla contraindicatio existat. Com-

\*) KLOEKHOFF opusc. medic. p. 102.



ponuntur hunc in finem, nisi durius adhaereant faeces, ex oleosis, demulcentibus, antispasmodicis, & si irritatione quadam opus est, tartari emetici, salis cuiusdam caet. parum admiscitur.

2) Iniuriae, quae e malo corporis matris habitu, praeternaturali, foetui profisciscuntur.

XXX. Inter iniurias, quae foetui, & si in carcere materno incluso, accidere solent, etiam referendae sunt, quae a malo corporis habitu, praeternaturali intelligo, oriuntur. Depravatur corpus aut in prima conformatione, aut post partum, & haec depravatio plerumque hominum ipsorum culpa fit. Inculpanda autem plura sunt, ut vestimenta, situs aut habitus corporis adfueti & alia, si haec naturae in formando corpore impedimenta opponunt. De isto, qui in prima conformatione oritur, corporis habitu vitioso, hic sermo non fit, sed potius cuius origo in matris culpa haeret, quem sibi ipsa causis mox explicandis conciliavit, quique foetum multis lesionibus proclivum facit.

XXXI. Maximam, quod primam foetus fictionem impedire videtur, illa est turpissima consuetudo, ope thoracum corpori staturam, sicubi feminae putant, pulcherrimam, formandi. Iam ab infantili aetate hoc vinculo incarcerantur, corpus alium induit habitum. Non modo autem puellis, sed etiam multo magis adhuc gravidis thoraces obnoxiae sunt, nam truncus earum usu adeo coarctatur & totum corpus, imprimis pelvis adeo vitatur, ut incrementum praepediatur, & ad posteram sobolem recipiendam & edendam inepta reddatur.

Gra.



Gravidis nocent, dum abdomen, mole sua extensum, constringitur, situs uteri una cum situ foetus mutatur, quo descensus eiusdem capitis difficilior, & hinc omnia iniquitatis genera exoriantur. Non modo enim vi sua mechanica foetum premunt, & eiusdem conformationem liberam impediunt, sed etiam alio modo laedunt. Arcte ad corporis superficiem infixae thoraces, nimirum partes molles comprimunt. Turbatur haud dubio sanguinis circuitus, quem ad partes internas, cum superius manare non licitum sit, maiori nunc vi ruere, veresimile est. Oppletur intestina, ante omnia uterus, receptaculum in graviditate sanguinis superflui, & cum consumere hic tantam copiam nequeat, iterum emittere conatur, fiunt haemorrhagiae, abortus.

Innumerosae sunt molestiae, quando mulier gravida ita incarcerata ad convivia solito plus ciborum ingesserit, vertigo, syncope; imo graviora mala subsequuntur. Cum itaque pelvis vitiatae in causis foetuum laesionum saepissime occurrentium habendae sint, patet, thoracum usum haec vitia ut plurimum procreare; manifestum e contrario est & exploratum, foeminas, iis non utentes, Indas, agrestes inter nos caet. non tantis & sibi & foetibus iniuriis expositas esse. Nunquam aut potius raro inter agrestes vitiatum corpus iuventutis, hoc vitio ortum, observatur.

Nocent insuper etiam sibi gravidae, quando, percepta graviditate, subito ab usu thoracum resistunt, & haec abstinentia tum multa trahit damna. Corpus enim, huic insulcro solum relictum, nunc repentino liberum redditur, detracto, quod rectum trunco dederat  
 habi-



habium. Subitanea hac relaxatione, quam fibrae omnes patiuntur, efficitur, ut hae debilitatis speciem accipiant, & ad iustam contractionem ineptae constituentur. E laxitate autem, immixta constringendi uteri facultate, adempto, quod resistentiam utero & reactionem dederat, nil frequentius accidere solet, quam abortus. Aspici hoc in saeminis licet, quibus partus laboriosior uteri fibras ita debilitavit, ut hae virtutes suas constringentes perdiderint, adeo, ut uterus etiam post partum editum distentus, eius ambitus amplius remaneat; & hae saeminae plerumque abortus patiuntur.

Haud secus res etiam se habet cum stolis istis, quibus mulieres utuntur, quarum usus & abusus embryonibus calamitatem ferunt non parvam. Totum harum pondus solummodo in ossibus ilei haeret, nec dubito, haecce eo, quod a superiori detrahantur, deprimantur, aliam inducere posse formam, & eo magis hoc de iis valet, quarum mos, ut quatuor aut pluribus tunicis corpus tegant.

Vestimenta gravidarum quam maxime levia esse debent, corpus minime restringentia. Ligaturae praecipue, quae stolas corpori annectunt, ne nimium sint comprimentes, quia reditui sanguinis e partibus inferioribus ad superiores impedimenta obviam ire possunt. Ligamenta plerumque ventrem supra protuberantiam istam, quam foetus efficit, ambiunt, quare perspectum cuique erit, quae damna foetui exinde profluant; praecipue, si arctius quam fas est annexa sunt. Sic vidi, cuius venter ab hac impressione circulo concavo totam ventrem ambiente, ornatus erat.

D

Liga.



Ligamenta crurum, quae tibialia alligant, si desunt, optime, nec circulus sanguinis praepeditur.

Porro laeditur foetus osse coccygis, nimium in pelvis concavitate inclinante, si matris vita sedentaria, ictus, percussio, delapsus ex alto caet. ita locavit; quam ob rem non modo in partus opere foetus vitae periculo, sed in matris gremio adhuc inclusus, laborat.

XXXII. Haud raro foeminae hunc alterumve situm atque incessum adsumunt, sive hic consuetudinis vitio sive rebus externis ortus. Aliae e. c. reclinantes, aliae pronae, aliae denique ad unum vel alterum latus magis pendentes, ingrediuntur. In illis muscoli abdominales ita distendantur, ut partes internae comprimantur, in his fibrae relaxantur, maius, quam fas est, spatium foetui ceditur. Nota mihi puella quaedam, cuius spinae dorsalis superior pars adeo reclinata, inferior autem cum vertebrae lumbarebus & pelvi ita prominere, ut certissimum habeam, partum & habitum foetus posteri vix fore prosperum. In corpore prono uterus in gestando foetu non suam sibi convenientem resistantiam assequitur.

Personae claudicantes perpetua concussione, qua corpus agitur, & adfidae foetus concussioni ansam praebent, formatio illius iuste perfici nequit. Totum corporis pondus ad illud latus inclinat, in quo vitium incessus haeret. Agitatio haec molestias, quando ad ultimam graviditatis periodum perventum, maximas exhibet, e quibus eundi taedium oritur. Per totum diem ergo subselliis inhaerent, noctem lecto degunt.

Perpe-



Perpetuus in uno alterove latere decubitus id nocivi habet, ut foetus ab hac parte potissimum prematur.

3) De motus corporis gravidarum usu, de noxis ex eius abusu.

XXXIII. De motus corporis usu, de laesionibus a foris illatis, ictu, saltu caet. quoad salutem foetus conservandam aut destruendam, nunc proxime differendi locus erit.

Nihil diaeta selectissima, nihil vomitoria & purgantia valent, quibus non est motus corporis modicus una cum illis coniunctus. Corporis motum magna vis in foetum est, ab his saepius eiusdem salus unice pendet.

Praecipuum corpus movendi genus in usu pedum consistit: nihil sane naturae aptius videtur, & nullum exercitium absque ullo virium impendio magis perficitur, quam hoc, cum ad propriam voluntantem, pro virium modulo institui possit.

Uti cuilibet, ita maxime gravidis iustum exercitium praescribendum est, quippe quae hominum duorum vitae conservationem respiciant, necesse est. Nunquam autem declinet a modico, nunquam membra ultra modum agitet, & ad lassitudinem protrahat. Cum medela exercitii a medico distincte indicari nequeat, cum magnum viribus inter varias intercedat discrimen, a tuta motus corporis mensura, quam susserre facile potest, incipiendum est, donec paulatim fortioribus adfuerit. A moderato solum corporis motu digestionis vires saepius excitantur, multa viscerum abdominalium vitia tolluntur, in quae medica-



menta nihil valuerunt, nec iniuria de isto aliquid sperandum est, cum vita sedentaria protracta, post medicamentorum adhibitionem, denuo semper faeces obstruentes regenerentur.

Si variae corporis conditiones, ut oedema pedum, venter nimium extensus, pectus malum caet, non sinunt, ut pedum usu corpus moveatur, tunc frictions partim totius corporis, partim singulorum membrorum egregie iuvant, quae, liberaliter institutae, sive manu sive pannis ex lana subministratae, modice calefaciunt, robur vitale leniter excitant, coctionem adiuvant, alimentumque liberius distribuunt.

Usus facile vertitur in abusum; uti hoc in omnibus rebus fieri solet, ita & hic. Gravidae enim sibi & foetui non solum corpus nimium movendo, sed etiam otium nimis ducendo, nocent. Otium, vita sedentaria, cum ab hac perfecte sanis sit cavendum, eo magis gravidae sibi caveant, quia desidia multorum morborum corporis nostri causa est, & gravidis praecipuis perniciofa, quippe quarum corpus iam valetudinarium cachexisque fit proclivum. Hoc unum tibi cogites, per totum diem sublellis inhaerendo, compressione viscerum abdominalium inde oriente, obstructionibus & aliis vitis ortum dari, cogites, in formatione foetus pressione ista mechanica nec non sanguinis circulo impedito, iniurias permultas existere posse, persuasum mihi habeo, te nunquam, etsi adsuetis, otium nimium praescripturum esse. Accidit insuper, ut feminae gravidae, falsa opinione inductae, quod duorum hominum sustentatione opus sit, voracitatem nimiam sectentur, cuius

noxam



noxam quisque haud facile ignorabit: ciborum adsumendorum modus semper cum corporis exercitii modo pari passu incedere, oportet.

Quae otium & quies perdurans secum fert incommoda, somno immodice protracto, supraugentur, nec quid de hoc sperandum, cum corpus lassum, cessante systematis nervosi in illud actione, adiaceat, humores omnes supra modum secernantur, excretio cutanea augetur, pori cutanei relaxentur & ob stimulum & actionem solidorum in fluida absentem haec lente fluant: sunt stagnationes, congestiones caet. quae non nisi exercitio iusto corporis tolli possunt.

XXXIV. Laeditur ab altera parte foetus, si corpus gravidae nimis movetur. Valida corporis exercitia, unctiones in rheda, concussus caeteri haemorrhagias & abortum promovere queunt. Uxores, pondera gravia portantes, haud raro abortiuntur, si ex improvise ab alto humi procumbunt, corpus praecipue venter vehementer conquassatur & concutitur; & tali modo laesae doloribus statim lumborum, femorum, ad ventrem usque propagantibus, afficiuntur: quod signum, secundum Tissotii sententiam, certissimum abortus subsequitur. Feminae sine mora lectum petant, & per aliquot dierum ibi remaneant, necesse est; & venaesectio ad brachium, summa ciborum animalium abstinentia, ceteraque methodus antiphlogistica saepius convenire, partui praemature obviam ire, vilae. Van Switen \*) haemorrhagias uteri & abortum etiam e valida frequentique sternutatione originem duxisse, commemorat. Eadem valent de tussi illa vehementi, qua gravidae quum ex communibus tum ob ipsam graviditatem, plerumque ultimis eius.



eiusdem mensibus liberum diaphragmatis motum impediens, mirerum etiam ab initio statim ob consensum sensibilibus uteri nervorum cum illis diaphragmatis vexantur.

Monendae insuper gravidae, ne, si quando alvum duram trahant, nimium enitentur, ne immoderato conamine faeces sedere studeant, quas sibi molestias inferre dicunt, nec haec ita tam locatae sunt, ut parco molimine eici possint. Multo melius, si a conaminibus resistunt, alvumque per medicamina lenia resolvunt.

Permultae, ad quas mea opinione embryones vitantur, occasiones, in amplexibus & coitu coniugali immodico inveniendae. Immoderantiam partim in copia, qua amplexus geruntur, partim in vehementia pono. Quod oriatur damni exinde foetui, Zimmermann \*\*) testatur, dicens, noxium esse immodicum coitum, unicam saepe causam, spem dispositionis ad abortum proclivis corrigendae plane inanem reddentem.

Haec noxarum, quae matris aut aliorum culpa foetui a foris inferuntur, disquisitio, ea tantum continet, quae vulgo accidere solent, superest aliarum adhuc cohors, quas quidem, nisi diffusius rem tractare vellem, pede sicco praeterire coactus mihi videor. Potius ad ultimum harum iniuriarum, foetui, tempore graviditatis accidentium, caput me convertito, in quo de animi pathematibus quaedam adferere liceat.

\*) Comment. in Boerhav. aphor. T. IV. p. 499.

\*\*) Von der Erfahrung. T. 2. p. 396. 399.



4) De commodis atque incommodis. quae animi pathemata matris foetui inferunt.

XXXV. Animi pathemata, quae & qualis sit eorum in hominem formandum efficacia, iam inde a longo tempore differendi materiam largissimam dederunt, dum alter eorum in foetum effectum denegaret, alter affirmaret. Quod me attinet, multum quidem animi motus in embryonem tenerum, quod aut laedere aut prodesse potest, valere, contendo, sed tamen abstineam, quo minus falsis illis de efficacia imaginationis matris per nervos in foetum narrationibus, fidem tribuam. Nihil sane absurdius cogitari potest, quam hoc. Est e. c. foemina gravida, murem videt, fastidium, horripitatio arripit, brachium statim dextrum ob consuetudinem sinistro appropinquat. Post editum foetum hoc in loco naevus reperitur, cuius causa remota mus, proxima afflictio brachii ad humerum, existimatur: post hoc, ergo propter hoc. Taceam innumerabilia huius rei exempla, taceam nomina virorum pro veritate certantium, ne lectores defessi opusculum rejiciant.

Hucusque imaginationis vim effectumque in foetum denegavi, & quilibet denegare iure potest, nam omnis sentiendi facultas per nervos propagatur; intercedit autem matri cum tenello & ne minimum quidem nervuli, qui quae so sensus acciperet foetus? Sed tamen in partibus istorum sum, qui, etsi hancce imaginationis vim directam profus reiiciant, tamen indirectum agendi modum, per humores circulantes, agnoscant. Omniumque persuasum erit, quantum debeatur animi motibus corporis valetudini, quantum exinde ad hilaritatem conservan-



servandam proficiatur, quantum denique laesiones ab animo tristi, irato caet, ad corporis machinam perstruendam, valeant. Inclinatorum autem plus vel minus alter huic, alter illi, passioni, ut varia corporis constitutio secum fert; sic sanguineus ad iracundiam proclivus, phlegmaticum hand facile iniuriae externae movent e. f. p.

§ XXXVI. Sunt animi pathemata vel excitantia, ut ira, laetitia, ferror caet. vel deprimentia, moestitia, odium caet. illa subito agunt, cito corpus elevant aut destruant, haec tarde, & ambo prodesse & nocere videntur. Agunt nempe per nervos in systema sanguiferum vasa quasi comprimendo & adstringendo, dum hi in suo decursu arteriis sese inferunt. Intima & momentanea cum corporis functionibus consensio huic nexui tribuenda mihi videtur, innumerosisque exemplis patet. Nullum est animi pathema, quod non in corpus agat, & singulares effectus taceo, quibus v. c. pudor in erubescentiam, amor aut odium in sexuales functiones, ira in bilis secretionem vim exerunt. Effectus itaque, ut supra vidimus, animi motuum in foetum, circuitui humorum mutato tantum, excitato vel depresso & huius sequelis tribuendus est.

§ Cavendum ante omnia gravidae est ab animo irato; nullum certe animi pathema citiorem & tantam vim in functiones corporis habet, quam hoc. Bilis secretio augetur, haec in intestina digestionem inservientia extravagatur, &, nisi simul cum faecibus mixta per alvum iterum evacuat, facile in corruptionem abit, & praeterea, quod irritamentum a bile in praecordiis unice iam abortum proferre constat, ructus acidi, vomitus, colicae, diarrhoeae, convulsiones, epilepsiae facile subori-



suboriuntur. Hystericae foeminae ut plurimum abortus patiuntur, quippe quarum se & excretiones omnes, imprimis bilis secretio, quolibet stimulo, parum tantum irritante, pervertuntur.

De caeteris animi affectibus vehementioribus idem, quod de iracundia, valet. Sanguinis moles rapidius per corpus vehitur & ita velox redditur, ut tenera vascula, uterum cum placenta nectentia, rumpantur, sive sanguinis motus in toto corpore auctus appareat, sive congestio tantummodo ad uterum nascatur. Efficiunt igitur animi pathemata, ut humores celerius per vasa agitentur: spasticae constrictiones, praesertim in visceribus abdominalibus producantur, & hunc fontem censeo, cur partus saepenumero ante iustum tempus edatur.

Omnia nunc, si possibile, a gravida removeantur necesse est, quae eiusdem systema nervosum ad talia incendia inflammare possunt, imprimis a terrore & ira absteineat. Et si forsitan occasiones haud lecus voluerint, si irata aut territa foemina noxam inde foetui nascituram timeat, per medicamina lenia statim succurrendum est. Adsumenda hoc in casu primum cremoris tartari, potionis Riverii aut aliorum medicamentorum refrigerantium dosis quaedam; deinde vomitorium vel purgatorium per alvum instituendum.

Nec nutriendi foetus negotium secundum leges naturae perfici potest, cum hic mox sanguinis irruentis copia, quam consumere nequit, inundetur, mox iusto alimento careat.



XXXVII. Animi affectus ut stimuli, sicubi supra dictum, in omnes corporis functiones irritando, agunt. Hoc autem de vehementioribus tantum valet, contrarium de alterius generis motibus, quippe quibus vis est deprimens, se & excretionem laedens, aestuandum. Digestionis quam maxime turbant opus: nutritio & assimilatio humorum peccant. Oritur lentor quidam in fluidis, lumina vasorum minimorum deobstruens, quo glandularum obstructions & malum illud tam grave, cancer ortum ducunt. Nec raro cacochymiae, chylicificatione perturbata, inde proficiuntur, quarum noxas foetuum nutritioni quisque sponte intelligit.

XXXVIII. Tot tantisque laesionum periculis obnoxius foetus nunc demum id temporis adsequutus est, quo e matris gremio excluditur & lucem salutare incipit. Verum non dicam, ab hoc inde tempore foetum ab omnibus iniuriis esse liberum, cautumque; sequitur potius periodus, a qua totius vitae superae salus pendet. Linqvit hanc vitam parasyticam; inchoatur periodus, qua semina ad fructus prosperrimos & uberrimos reportandos ferenda sunt. Priusquam vero ad hanc educationem infantilem ipsam adgredimur, antea quaedam de periculis, quae foetui in partus negotio imminet, & de modo, quo his succurrendum sit ut vita sustentetur, verba quaedam facere liceat.



## SECTIO II.

*De iniuriis, quae foetui ad partum accidunt;*  
*& de earum amotione.*

I. Post praeterlapsum graviditatem, cuius finis, si partus naturalis, circa mensem decimum incidit, uterus ita mutatus, eam expansionem patiens, deprehenditur, ut exonerari contentis moliat, quae per totum graviditatis tempus abscondita sinu suo fovit. Uterus enim structurae muscularis ope nunc demum ad contractionem incitatur, sequuntur dolores gravissimi, caput embryonis, aucta contractione nec non & mole sua uteri cervicem eiusque orificium premit, diducit, cervix magis magisque extenuatur, orificium ulterius aperitur, atque foetus caput, hoc modo impulsus, versus locum minus resistentem, in cavitatem pelvis descendit, & ex hac in vaginam delabitur.

II. Requiritur ad partum naturalem ut pelvis matris bene sit conformata, ut uterus in axi pelvis haereat nec genitalia aliis vitiis & morbis laborent, porro, ut foetus sit ita formatus, uti in exitu nec sibi nec matri damna inferre potest. In considerandis, quae vitam foetus in partu periculosam reddunt, multa insuper occurrunt non minus mortem minantia, quae quidem, cum a foris eveniant, huc tantum spectare videntur, & sermo hic sit de iniuriis, quae foetui accidunt externe illatae.



III. Partus igitur est vel naturalis vel praeternaturalis: hic auxilium medici obstetricatoris aut chirurgi postulat, ille, quum secundum leges naturae perficiatur, nullo omnino eget, excepta cura, quam obstetrix in inserviando foeminae aut infanti recens nato, habet. Scripta nobis a Pasidonio, Strabone caet. relicta, quibus foeminas nullo omnino egere auxilio, compertum est, & sic Strabo libro 3 ait: Mulieres agros colunt, & cum parunt, suo loco viros opus perficere iubent, ipsae autem statim post partum regrediuntur & inter operandum saepius partum lavant & involvant ad alveum alicuius amnis acclinantes. Pasidonius ita refert: in Liguria Charmolaum, hospitem suum, sibi narrasse Massiliensem, fuisse a se ad fossionem quandam conductos viros & mulieres; inter has quendam doloribus partus correptam, non longe ab opere digressam, edito foetu, ad opus rediisse ne mercedem amitteret: quam ipse cum videret aegre opus facere, primoque causam ignoraret, tandem re cognita, mercede data dimississe, mulierem vero ad fonticulum quandam tulisse infantem, totumque & quibus habebat involutum pannis, incolumem domum pertulisse. Ostiacorum mulieres quam facillime a partu absolvi, Müllerus \*) animadvertit, etsi malis scorbuticis magnopere haec gens sit expofita, dicens: Die Zeit der Geburt aestimiren die Weiber gar nicht, und es scheint, als wenn sie ohne Schmerzen gebären. Es begegnet ihnen oft,

\*) Das Leben und die Gewohnheiten der Ostiaken, beschrieben von Joh. Bernh. MÜLLER. Vid. Webers verändertes Rusland, T. I. Frankf. 1721.



oft, daß sie im Winter von einem Orte zum andern ziehen, wenn nun keine Jurthe auf der Nähe ist, und keinesweges eine Bequemlichkeit für die Gebährerin zu finden ist, so verrichtet sie das ibrige im Gehen, verscharrt sodann ihre Geburt im Schnee, damit sie hart und der Kälte gewohnt werden, bis sie anfängt zu weinen. Alsdenn steht sie selbige in den Busen, und vollführt mit den andern ihren Weg. *Haec dicta sufficiant ut probetur, quale & quantum foeminis nostris cum foeminis aliarum gentium partuum intercedat discrimen. Inter viginti partus uxores nostras unum proferre emortuum, experientia docuit, cum e contrario aliis gentibus vix unus e septuaginta aut octoginta exstinctus reddatur. Videre praeterea licet, quanti sit corporis victus, consuetudinis, & omnino modi vivendi in prolem imperium.*

IV. Non modo autem partus ab initio statim ob foetus aut matris culpam praeternaturalis est, sed saepius e naturali praeternaturalis fit. Uti in praecise praeternaturali, ita etiam hoc in casu consilia medici obstetricatoris petenda sunt, quando foetum integrum evadere optamus. Quam diu vero spes subest partus naturalis, etsi paulo lentius progredientis, melius tutiusque est, naturae vires expectare, praecipue si obstetrix suam sibi habet, has superandis obstaculis succuturas esse. Partus enim istiusmodi naturalis sine omnis matris aut foetus periculo absolvitur, parturiens peracto labore integra fruitur sanitate, nullis, caeteroquin sana, incommodis ulterius exposita est.



Longè verò alia ratio est partus difficilis, ubi graviora impedimenta vincenda sunt, si modo partus in matris & foetus favorem abfolvatur. Sunt laesionum, quae parturientibus, inde & foetibus accidunt, multae eademque variae, varie nocentes, & secundum harum diversitatem duplici auxilio opus est, obstetricis & medici obstetricatoris. Nonnunquam autem obstetrices & medici, quorum consiliis & manibus partus difficilioris status in leviolem redigatur, necesse est, hunc insuper exitiosorem reddunt, periculaque, ab indoctis illorum manibus timenda, augent. Nihilominus tamen auxilia in partu ferenda, duplicem classem constituunt, quae nempe 1) ad partum naturalem & 2) ad difficilem feruntur.

V. In quolibet partu obstetrix praesens sit, oportet, quae, si requiritur, circa parturientem subministret, de quibus convenire experientia docuit. Auxilia obstetricum certissima, obstetrices expertae, uti olim, sic & hodie singulis adhuc locis inter pia desideria numerandae sunt, nec iniuria nunc publicis aedificiis, quum intellectum, quot quantasque calamitates indoctae obstetricum manus possint efficere, circa meliorem istarum feminarum eruditionem optime merent superiores. Est enim ingens laesionum acervus, quarum singularum, uti res nimium circumscripta postulat, mentionem faciam, simulque methodum iustam eorum, quae ad omnem partum observanda sunt, adiungam.

VI. Timor & anxietas, cum, graviditate ad finem vergente, gravidas plerumque arripeat, curam obstetrix maximam habeat, ut haec

ani-



animi pathemata removeantur. Timor aequè ac laetitia de feliciter  
peracto partu nocere, visus. Cum enim uterus in gravidis pars sit  
imbecillior, facile apparet, sanguinis molem, animi motibus velocius  
ruentem, hunc imprimis petere, indeque haemorrhagias matri & fo-  
tui lethales oriri. Timor & genera animi pathematum tristitia partu-  
rientium opus valdopere difficile exhibent, quippe quorum est tanta in  
nervos agendi efficacia, ut hi debilitentur, cuilibet stimulo recipiendo  
apti fiant.

VII. Alterum, quod observatione obstetricis dignum videtur,  
eo positum, ut omnia externa a matre reiiciantur, quae circuitui san-  
guinis libero obstacula opponere possint, & sunt huius loci omnes li-  
gaturae, partes molles, praecipue abdomen constringentes. Refol-  
venda igitur sunt ligamenta tunicarum, vestimentorum, tibialium cet.

VIII. Ad ultimum usque terminum, nisi dolores subsistere  
cogant, gravidas ambulare suadeam, quo magis, si ipsis animus inest.  
Ultimum autem hunc terminum voco, quando dolores vehementia  
graviori urgent, aquae effluere incipiunt. Nunquam matrum  
decubitus postulem, cum hic ipse terroris aliquid excitet, & dubito.  
inter adhibendum dolores tali facilitate posse sufferrì, quali inter subsisten-  
dum ferunt gravidæ; illa enim totius corporis expansio, quam gra-  
vidæ inter dolores elaborandos patiuntur, situ resupino adhuc augetur,  
non est corpus sui compos, nec se, uti cuiuscunque corporis habitus  
fecum fert, pro dolorum vehementia & lenitate adaptare potest, Prae-  
cipue



cipue hoc de fellis obstetriciis valet, quas in posterum, si detur, ut parturientes consilia postulent, nunquam concedere, in animo est constitutum. Est despotia quaedam, quamlibet ad unum eundemque situm assumendum, impellens, nec in gravidarum corporis habitum, cuique singularem respicitur. Justum mea opinione videtur, ut gravidæ, quæ placeat statura & positione pareant, sitve in lecto seu aliis subfelliis, dummodo obstetrices videant, ne foetus exitus hoc alterove situ praepediatur. Permultas vidi, durissimos dolores, fellae obstetriciae adiacentes, accusantes, vidi, quæ ventrem postea valde distentum, strumam & alia inde reportarent.

Lectus parturientis hæc commoda habeat, necesse est, ut 1) opportunus & corpori adaptatus sit, 2) ut ubicunque parari possit. Speciatim de situ inter parturiendum dici aliquid nequit, generalia tantum quaedam adiungam. Gravidæ ita reponuntur, ut situs in lecto transversus sit, dum pedes locum contactus tenacem habent, quo facilius inter partus labores enitantur. Juvat etiam, si manibus duabus trahendo & nitendo doloribus elaborandis succurrunt. Caput, si potest, quam maxime altum atque erectum adiaceat, quo minus constrictionibus vasorum, quæ nifus comitantur, sanguis in superioribus corporis partibus, cerebro & pulmonibus accumuletur, retineaturque. Nimum resupino adcumbentes, ut iam supra dictum, facile strumis procreandis exponuntur. Ex hoc situ persuasum sibi quisque habere potest haud ullam unquam noxam foetui nascituram esse: & tuta grava lectum conscendere potest.



IX. Obstetrix parturientis sic adiacentis inter femora subsideat explorans, quis sit foetui situs, num aquae iam sint profusae, num dolores spurii sint an veri? Antea autem, si alvus per aliquot tempus dura, obstructa fuerit, clysterio resolvat. Femora, si parturiens fortiter contra semet ipsa adducit, ab se invicem removeat, quo facilius explorari, & exitus foetui parari possit. Sunt autem, quae femora ita concludant, ut maxima vi adhibita, nihilominus tamen distrahi nequeant; sic Vitus Riedlinus \*) exemplum narrat, puerperam in flore iuventutis constitutam a matre, obstetrice, sacerdote, medico nullo pactam, sive precibus seu blandis verbis seu minis eo promoveri potuisse, ut pariendi molimen adiuveret, vel saltem excessum foetui concederet, sed, doloribus valde conquassantibus, praefracte obnixam fuisse, quos quidem ploratu eiulatuque obliterare tentavit, & femora ita adduxit, ut nullo modo dimoveri potuerint. Quum sic per aliquot horas infantem, qui vitam suam motibus validissimis prodidit, partu prohibuisset, tandem convulsionibus accedentes tum matrem, tum foetum extinxerunt. Idem alio loco \*\*) refert, in artificis cuiusdam uxore, postquam priori partu bene perfuncta erat, in altero, cum dolores per integrum biduum, spretis blanditiis & minis, suppressere contendisset, gestibus oppositis impediisset, etiam convulsionibus supervenisse, a quibus tamen, data medicina, simul cum partu liberata fuit. Hoc in casu certissime status hystericus adfuit, aucta irritabilitas e debilitate profecta,

\*) In lineis med. ann. 1695. p. 448.

\*\*) Lin. med. ann. 1698. p. 221. sqq.



& nisi blandimenta & minae quid valuissent, optimam spem in opio, fuisse, credo.

X. Unus aut duo digiti genitalibus plerumque inferri solent, & casu tantum graviori tota manu uti, fas est. Antea vero, ne genitalia laedantur, digiti aut manus explorantes pinguedine, nisi hoc, aqua calida, tincti esse debent. Durantibus doloribus ab exploratione abstinendum, ne velamenta constrictione fibrarum vehementi, disrumpan- tur, indeque partui praemature ortus detur. Violatur autem nonnunquam in hac exploratione foetus non solum dum in alium situm, a naturali abhorrentem, redigitur, quo e genitalibus exitus gravatur, sed etiam dum, utero adhuc inclusus, ab obstetrice male tractatur. Obstetrices iniquo suo & incongruo adiumento vario modo partus negotio obesse possunt & obfunt, praesertim autem frequenti situs exploratione, intempestiva & incauta manuum applicatione caet. Frequens digito- rum admotio tot pericula involvit, quot habet exploratio profusa omissa, ille enim partium mollium, sensilium contactus repetitus dolo- res superaueget, cum corpus in parturiendo his ipsis iam valde afficia- tur. Exploratione omissa & neglecta, situs foetus ignorantia oritur, nec eiusdem progressum experientia fit. Sic exemplum mihi notum, ubi, admotione digitorum neglecta, infans tanta ex improvise vi pro- ruptit, ut obstetrix, secuta & incauta inter genua adsidens, territa vix manibus arripere posset.



XI. Quae cum ita sint, varia in explorando obstetrici obser-  
vanda veniunt, quae vitam foetus inter partus opus sustentandam spe-  
clant, quibus exitus foetui facilis paratur, & hic incolumis lucem sa-  
lutare potest: & quamquam quidem per directum opus & adiumen-  
tum obstetricis saluti conservandae non prospicit, per indirectum ta-  
men in foetum agere videtur. Pertinent huc 1) oblitio digitorum  
& manus oleo blando haud irritante, eo magis instituenta, quo mi-  
nus ampla sunt genitalia foeminea, 2) Si manus refrigeratae fu-  
erunt, leni igne aut fornaci admotas calefaciat, ne parturienti ingra-  
tum frigoris sensum excitet & hoc ipso partes molles adstringat & exi-  
tum foetui difficilem exhibeat, 3) Uno tantum digito explorare si  
femina potest, ab alterius aut adeo manus totius usu resistat, ne super  
modum genitalia irriter & foetum laedet, 4) Ungues digitorum  
haud raro in applicatione genitalia, imo etiam si alte genitalibus in-  
ternis digiti sunt impositi, velamenta ovi, quibus foetus cingitur,  
laedunt & disrumpunt, ita, ut subitaneae humorum profusioni anam  
dent, Nec non in exitu foetus per vaginam, excepto ab obstetrice  
capite & postera neonati tractatione, neglecta unguium circumcissione,  
male hunc afficere potest. Quare, ut, ante partus opus subministran-  
dum, ungues circumcidet, monenda est obstetrix, 5) Anuli *obste-*  
*tricum* aut, prorsus recusandi, aut potius ad explorationem detrahendi  
sunt, laevissimae enim protuberantiae aut concavo implicantur genitalia  
& irritantur, 6) Si a parturiente altera ad alteram discedit obstetrix,  
ante manus aqua abluat, necesse est, ne haec ab illa, si quando geni-



talibus venenum quoddam inhaereat, inficiatur. 7) Lente tardeque digiti inferendi & retrahendi sunt, nam tactu rudi dolores, si nulli antea fuerunt, nunc demum suscitantur.

Haec de istis, quae ab obstetricibus in partu quoad foetum spectant, geruntur, sufficiant, & sat clarum cuique videri potest, multis modis a manu indocta obstetricis foetui noxas inferri.

XII. Dolores ad partum sunt vel spurii vel veri. Duorum horum generum diagnosi interdum ita difficilis est, ut, nisi vitium circa parturientem committi velim, maxima cura opus sit. Dolores spurii, cum e constrictione fibrarum muscularium uteri & reactione foetus in has nullo modo ortum suum ducant, cuique de eorum ad partum promovendum aut maturandum ineptia & impotentia persuasum erit. Nihilominus tamen omnem nostram attentionem merentur, cum interdum naturam, doloribus veris haud abfimilem, adipiscantur, & vario modo nocere possint. Oriuntur potius e rebus extra uterum positis, imprimis e vitiis viscerum abdominalium. Obstructiones, tam familiaris gravidarum socius, flatus, vermes, plethora abdominalis, urinae acrimoniae, animi affectus & aliae causae irritamentum involventes doloribus spurjis ansam praebent. Inter signa diagnostica primum tactus eruditus & exploratio considerandus venit. In doloribus spurjis orificium uteri haud variatur, eiusdem margines non constringuntur, nec velamenta adparent: comitantur sensus, quasi dolores transversi circa ventrem propagentur, dolores & tensio praecor.



cordiorum, laterum & costarum inferiorum, borborygmi & intesti-  
 norum motus graviores. Haec omnia contemplans obstetrix, non  
 facile in cognitione & distinctione dolorum spuriorum a veris errare  
 potest. Inculpandae sunt aliae causae, hos sensus edentes, quae, nisi  
 damna exinde matrem & foetum capere optemus, removeantur. Si  
 igitur obstructions apparent, clysteribus lenibus parum irritantibus,  
 succurrendum est. Alvus parturientium obstructa partus opus valde  
 infringit, & semper irritamentum accessorium, labores superaugens,  
 aestumanda. Quando sanguinis moles urget, tunc parca sanguinis  
 missione minuenda est. Flatus frictione leni ventris cum manu aut  
 panno, oleo quodam aromatico infecto, optime pelluntur, omnino  
 vero usus medicaminum aromaticorum internus, vituperandus, quippe  
 quibus sanguis ad uterum agatur. Dolores spurii nonnunquam tan-  
 topere urgent, ut vitae periculum matri & infanti immineat, praeci-  
 pue in foeminis hysteris, ubi minimum irritationis motus in corpore  
 gravissimos prodit: & praestantissime hoc in casu antispasmodica  
 iuvant.

XIII. Dolores veri a spurii distinguuntur sensu dolorum ipso,  
 qui semper in lumbis & vertebrae incipiunt & inde ad partes vicinas  
 dissipantur. Alterum, quod intercedit discrimen, varia ratione, quam  
 uterus inter dolores patitur, consistit. Constrictionibus enim uteri  
 contenta in eum locum pelluntur, ubi minimum obstaculi inve-  
 niunt, & cum hoc ad uteri orificium sit, efficitur, ut caput, velamentis



cinctum, ibi appareat. Orificium tunc dilatatur, intrat foetus caput, dum humores, amnio contenti, profunduntur & viae hae lubricatae, exitum facilem parant.

XIV. Est hic decursus partus naturalis, sic infans incolumis paulatim progreditur. Sed tamen multa & in partu naturali, vitam infantis conservandam spectantia, observanda veniunt, quae partum difficilem, foetum laesum reddere valent, & plurima, quae committuntur, vitia, obstetricum culpa tribuenda sunt.

Errores praecipui, quos obstetrices exhibent, circa ignorantiam dolorum verorum & spuriorum versantur, dum nempe feminas, doloribus spuris urgentibus, ad nifus exhortantur; quo innumeris modis gravidarum nostrarum opus infringunt. Chappmann \*) narrat, se nonnunquam ad foeminas vocatum esse, sexto aut septimo mense gravidas, quas dolores spurios ita vexasse, ut mater ipsa aequae obstetricis admonitione sua nitendo maximam operam darent, & exploratione instituta, orificium uteri ita dilatatum invenisse, ut integram manum imbuere potuisset. Enarratis autem, quae ad iustam graviditatis notionem pertinebant, sextum aut septimum mensem degere, comperto, abesse denique humorum profluvium, animadverso, haud iniuria hosce dolores inter spuriorum numerum retulit, postque data anodyna sanari aspicebat gravidas. Multimodis ex hoc nifu frustra neo damna fluunt, dum caput foetus, si iustus est situs, versus orificium

\*) Hebammenbuch cap. 3. p. 58.



cium uteri pellitur, hoc distentat: nec mirum, quod inde partus praematurus subsequatur, qui eo magis timendus est, quo valentius gravida hoc labores spurios adiuvarit. Omnis autem dolor nimis vehemens & immanis tandem abit in distentionem nervorum, qua tum plerumque adhuc magis impeditur partus, spasmis, motus naturales pervertentibus, vias oblerantibus, & foetum in malum situm compingentibus; unde aegrotantes convulsae, compressis obstructivae cerebri vasis, ex apoplexia moriuntur.

In hoc dolorum immanitate, quae tot tantasque turbas excitat, conveniunt anodyna, mites clysteres, &, quando periculum in mora est, opiata. Quantum pacatus motuum status ad partum absolvendum conferat, argumento est, quod mulieres etiam in somno bene pepererunt, sicut declarant Heister \*) & Werlhoff, quorum posterior foeminam noverat, quae in ipso somno peperit infantem.

Alterum, quod parturientis labores valde difficiles reddit, damnatum, itidem ex nimio & intempestivo nisu ad dolores spurios proficiscens, eo consistit, quod foeminae admodum debilitantur, partuque subinde incedenti ferendo difficiles redduntur, adeo, ut integra vi doloribus veris impendia adhiberi nequeant, &, quod natura fecerit, nunc arte effici debeat. Huius loci exemplum illud est, quod ex observatione Felici. Plateri \*\*) constat, ubi puerpera, conatibus pariendi cessantibus

\*) Dissert. de partu mirabili foetus vivi in somno matris profundo.

\*\*) Observat. L. I. p. 221, seqq. Edit. I. ann. 1614. p. 215, seqq. Edit. 3. ann. 1680.



bus omnibus, foetum retinuit emortuum. Aliud exemplum in Greg. Horstii \*\*\* observationibus inveniendum: cessabant & hic omnia foetum edendi conamina, donec, pellentibus datis, infans exstinctus prodiret.

XV. Quemlibet dolorum verorum ad partum impetum parturiens adiuuare debet, & adiuuat expirationem retinendo, abdomen verius se ipsum comprimendo. Jam vero obstetricis est, ut ad hoc dolores bene elaborandos faeminas exhortetur, eo magis, si, orificium uteri iam satis dilatatum esse, compertum est. Saepius autem partus labores nimium durant, & mors inde matri & foetui venit.

XVI. Si pariendi labor nimium diu perseverat, sunt vel obstetrices, vel embryulci ob ineptam suam & rudem tractationem, vel etiam aliae causae, in matris infirmitate caet: haerentes, inculpandi. Quare permulti perducti olim & nunc adhuc perducuntur, ut medicamina pellentia adhibeant. Nihil autem certius necem foetus inclusi promovere posse, persuasum mihi habeo, quam haec. Impetus enim, quo sanguis, medicamentis hisce excitatus, ad uterum ruit, disruptionem vasorum, quibus placenta utero iniungitur, efficit. Praeterea foetus tantam humorum copiam accipit, quantam pro corporis sui ratione consumere nequit, oritur in hoc aequae atque in matris abdomine summa plethora, mors subitanea. Haud raro etiam genitalia, quae inter partum valde dissentantur, arroduntur, hac superveniente hu-

\*\*\*) Observat. L. 5. observ. 37.



morum massa magis adhuc afficiuntur & adeo inflammantur, ut exitus foetui nisi praeccludatur, certe tamen impediatur.

XVII. In partu protracto, doloribus cessantibus, obstetrix, reiectis pellentibus, multimodis tamen prodesse potest. Primum obstetricum officium hoc in casu est, ut explorent, num uteri orificium sit dilatatum, an non? Si dilatatum non est, ab omni partum maturandi conamine resistat. Aliter sese res habet, si caput foetus uteri orificio, iam satis amplo, instat, & tunc, deficientibus foetum edendi moliminibus, ad remedia minus nociva transeundum est. Magnopere hic fomenta ventris cum pannis, in aqua frigida immersis, iuvant: nec ullam contraindicationem patiuntur, quum defectus laborum, ad partum necessarium, e debilitate profectus est. Sunt, qui contactum paulo irritantem genitalium sive digitis sive instrumentis laudent, & quamquam negari omnino nequeat, vim inesse huic irritamento mechanicam quandam ad dolores ciendos, attamen desiderari mea opinione posse, censeo: & tali in casu forcipis usum potius substitutam, cum haec partim dolores reduplicet, partim exitum foetus maturet. Si dolores, uti pro habitu & viribus corporis fas est, satis validi adsunt, prosperimus partus expectandus est, & tunc naturae agenti *habenas* immittere licet. Quare doloribus urgentibus, ne de salute sua desperet parturiens, animi quies perpetua, ut iam supra dictum, obtinenda est, quam obstetrix blandimentis adiuvet, necesse est. Equidem corporis fitus & habitus gravidae sit fitui foetus adaptatus, ita, ut ad situm fo-



tus in latus dextrum magis inclinantem, in latus contrarium adiaceat & infanti exitum faciliorem reddat. Incredibile sane, quanti momenti sit in partus opere situs opportunus, & saepius parturiens, alium situm adeptus, subito a laboribus liberatur, qui felicem antea eventum prorsus negaverunt.

Omnis autem mox in unum mox in alterum latus reieccio nocet, cum ad quamlibet variationem etiam situs foetus varietur, cum ingressus capitis in uteri orificium aliter perficiatur, & totum omnino partus opus mutetur. Hanc reieccionem frequenter repetitam praecipue amant, quibus est systema nervosum sensibile, animus inquietus, haud parvum ex hac levamen sperantibus.

XVIII. Sic exitus infanti paratur, opus finitur permagnam spes ac solatium parentum mox apparebit, salutabit mox infans lucem spirabit animam, prodibit homo fiens. Nova autem nunc inicit pericula foetus, aequae interdum lethifera, quare obsetrix omnem in id vertat intentionem, quo sit, ut & haec superentur angustiae; quocirca regulas quasdam, in partu facili & laboriosiori observandas adferere, licitum sit, quae potissimum vitam foetus sustentandam spectant.

Priusquam locum suum inter genua occupat obsetrix, omnia ab ista iam ita comparata esse debent, ut in apportandis, quae infervunt, nulla postea mora fiat. Requiritur itaque, ut 1) obsetrix quam maxime prope ad genitalia inter genua adsideat, quo facilius infans



infans arripi possit, nec funiculus umbilicalis extra modum extendatur & disrumpatur. Haud rara exempla neglectus huius regulae sunt, ubi infantes subitaneo prolapsui & incautae obstetricis securitati mortem tribuerunt. 2) Forficem semper & fila, cera obducta & inter se cohaerentia, quibus funis umbilicalis scindatur & deligetur, in promptu habeat, iuvabitque haec omnia perpetuo secum portans. 3) Cum adeo sit lubricus neonatus, ut absque elapsus periculo manibus teneri nequeat, linteamina quaedam in obstetricis gremio iaceant, quae tactum adiuvant & simul infantem a sordibus liberent. 4) Post partum, infante manibus excepto, hunc transversum gremio reponat, ita tamen, ut vasa umbilicalia pendula haereant, nec distententur, & tam diu tali situ teneat, donec arteriarum umbilicalium pulsatio evanuerit. 5) Funem umbilicalem digitorum duorum vel trium spatium a ventre partus abscindat & ligamento supra descripto occludat. 6) Ne infans recens natus tractatione sua laedatur ab obstetrice, acus omnes, aut alia instrumenta acuta, quorum usui saeminae addictae sunt, remota esse debent. 7) Aqua calida, abluendis, quae infantem obducunt, sordibus, parata adsit, & si fieri potest, licet, ut 8) medicamenta aliqua excitantia in promptu sint, quae, si quando infans vita destitutus videatur, hanc revocet, ut Liq. an. min. Hoffm. spir. sal. ammon. nec non pertinent huc instrumenta quaedam, ut pecten fetaceus caet :

XIX. Quae cum ita sint, adventum infantis animo quieto expectare licet, pertimescendum autem periculum insuper est, si ob ni-



miam genitalium coarctationem & constrictionem impedimenta huic opponuntur. Sic e. g. ob angustias orificii uteri, iterum sese contrahentis, collum infantis ambientis, progressus corpusculi reliquus negatur. Optimum in hoc casu remedium in usu oleorum & balneorum, vapores suos effudentium, positum. Omnis vehementia nociva, interdum lethifera, dum disruptio capitis a corpore facile subsequitur. Non rara sunt huius vitii exempla, & breve adhuc ante tempus litteris scriptum accepi, tali rudi atque intempestiva vi adhibita, corpus capite deslitutum fuisse; forsitan vero non tantum orificium uteri, collum arcte stringens, inculpandum, quantum humeri nimium ampli infantis atque lati, & tractatio obstetricis perversa in culpa erant.

Si caput igitur secundum leges naturae prominere, leni pressione cum manibus, remota vehementis protractionis vi, hoc tendere studeat: & haec arreptio praeterea moliminibus naturae, nunc fortius apparentibus, adiuvatur, nec abest, quo minus statim corpus caeterum subsequatur.

XX. Nonnunquam accidit, ut funiculus umbilicalis uno vel bino ordine collum, manum & alias partes cingat, nec parvum exinde periculum instare videtur, dum infans, nutrimento per hanc stricturam iusto deficiente, aut reditu sanguinis impedito, morti facile obediatur, nec non in partu ipso vitae periculum incurrat. Inter causas circumvolutionis funis umbilicalis omnes eae numerandae sunt, quae  
fitum



fitum foetus in utero absconditi variare possunt, ut corporis motus nimii, frequens in unum aut alterum latus reiectio, subitanea propensio aut resupinatio corporis, susceptio ponderum gravium caet. Porro etiam inculpanda immensa funis umbilicalis longitudo venit, qua fit, ut haec maiori facilitate partes foetus praeiacentes amplecti queat. Insuper credo, non nisi primo graviditatis stadio circumvolutiones hasce oriri, quippe quo embryo adhuc admodum tener, in liquore suo quasi haesitans, suum sibi primitivum situm cum situ iusto, seriori graviditatis periodo subsequente, permutat.

Haud absimiliter valet de nodis istis funiculi umbilicalis, quorum saepius plures in unum conglomerati reperiuntur. Noxae vitae foetus exinde orientes, omnes ex uno eodemque fonte fluunt, est nempe sanguinis circuitus praepeditus, nec libero gressu ad embryonem vehi & revehi ad matrem possunt humores nutrientes. Si collum infantis funiculo circumductum est, plerumque, capite iam e genitalibus egresso, caeterum corpus egredi amplius nequit, & nisi ingesta manu a plica liberetur, nisi obstetrix a tractatione sua resistat, triplex metuendum est periculum, periculum prolapsus uteri & inclusionis infantis; disruptionis funiculi umbilicalis & denique maturae placentae a fundo uteri disjunctionis, quam haemorrhagiae saepius gravissimae comitari solent. Quam ob causam; simulquam circumplicationem hanc circa collum aspexerit obstetrix, funem umbilicalem manu arreptum, supra caput infantis ducat, ut quantocivus collum liberet.



beretur. Quodsi autem in potestate obstetricis non sit, ut matura ligaturae solutione damna ab infante avertantur, tum de repentina funiculi resectione multum sperandum est. In gemellis frequenter, & dicam semper accidere solet, ut ultimo proveniens circumvolutione funiculi umbilicalis circa partem quandam laboret, cum hic postea prorsus alium induat situm, alioque egressus modo lucem salvet.

XXI. Haec mea opinione sufficere videntur, ut ostendatur, quae foetus aut infans ad partum, etsi naturalem, incurrat pericula, quales sint antea superandae angustiae, priusquam animum primum ducant infantes. Ad alterum nunc transgrediamur huius sectionis caput, quo periculorum ad partum praeternaturalem mentionem faciam.

Omnis partus laboriosus, experientiam & ingenium obstetricis vincens, manus medici obstetricatoris desiderat. Ne autem nimium in hoc pertractando opusculo meo amplius & diffusus videar, occasiones tantum & casus plurime accidentes, in quibus vitae periculum foetus inflat, adducam.

XXII. Nostri regionibus sueto more embryulus ad parturientem tum demum vocatur, quando partus iam prolongatus est, per raro statim ab initio adest, sed potius ad eius auxilia confugiunt, cum faeminae diu iam laborarunt, cum velamenta ovi disrupta & humores profusi sunt, si dolores iam saevierunt & ita iam debilitatae sunt parturientes, ut dolores aut requiescant aut non sat sint validi, & totum corpus depravatumprehendatur.

Pri-



Primum medici obstetricatoris advenientis officium in exploratione consistit: & percipitur ab eo foetus vel vivus vel mortuus. Moritur foetus ob labores inter parturendum nimios, ob constrictionem uteri validissimam, pressionem externam & alia supra narrata. Si vivus adest, casus duplicis generis est, 1) Situs foetus, seu matris seu obstetricis seu demum foetus ipsius culpa praeternaturalis quidem invenitur, sed tamen ita comparatus, ut emendari arte, partusque naturalis feliciter absolvi possit; 2) Situs capitis & totius infantis ita apparet, ut mutari in alium nequeat, ut partus laboriosus necessario exeat, & si hoc, instrumentorum ferreorum opus est.

XXIII. Ab usu instrumentorum, quantum potest, abstat obstetricator, eaque adhibenda constituat, cum naturae vires sepultae prorsus iacent. Uti tempestivus eorum usus ab altera parte multimodis commodus, necessarius imo est, ita ab altera parte incommoda multa usus illorum intempestivus secum fert. Quare summa in diagnosi casuum prudentia, indicantium & contraindicantium notione, iudicio celeri & constantia animi opus est. Nunquam parturientem absque auxilio, secundum vires nostras, praeslito, linquamus, sed omnia experiamur, quae quodammodo vitam matris & foetus conservandam spectant, necesse est.

Innocua primum tentare, gradatimque ad severiora pergere, nec nisi, summo periculo urgente, instrumenta illa laedentia, ut perforatorium caet. adhibere licet. Magnus nunc oculis patet campus,

instru-



Instrumentorum omnium iustae indicationes & contraindicationes, quas quidem pede sicco praeterire coactum me video, cum nec temporis nec loci opportuni ratio, nec opusculi propositum secum ferant, & ab aliis earum iam mentio facta, a multis iam relatae sint; sed potius hic pedem figam, ubi de phaenomenis quibusdam, frequenter ad partum incidentibus, differendi locus est, quaeque medici auxilium postulant.

XXIV. Haemorrhagiae uterinae, quae brevi ante partum vel in partu ipso eveniunt, modo foeminae, modo foetui, saepius utrique nocent. Earum causa plerumque in praematura placentae ab utero resolutione quaerenda est, qua fit, ut sanguis, dilaceratis, quae placentam utero neclabant, vasis, maiori minorive copia prorumpat. Huius disruptionis causae omnes debilitatis faciem involvunt, quae attentius evidentius tum apparet, quum sanguis, simul ac pariendi labores initium capiunt, effluere desinit, & his cessantibus, denuo effluit.

Infanti iam adhuc incluso noxae inde oriuntur, partim dum iustum nutrimentum detrahitur, partim dum & foetus, rupto aliquando funiculo umbilicali, sanguinem perdit; idque magis timendum, quo longior adhuc abest partus terminus, nec auxilium celere ferri potest.

Signa haemorrhagiae parturientis instantis sunt debilitas & segnities uteri, quae dolorum ante aut ad partum ipsum cessatione sese produnt. Hanc segnitatem venter distensus & inflatus sequitur. Optimum hoc in casu remedium subitanea partus absolutio praestat, quae tum maiori iure instituenda est, quando leniora nil praesliterunt. Inter  
leniora



leniora remedia, hunc in usum recommendata, partim interna numeranda sunt, partim externa, quae vero, pro varia de causa haemorrhagiae sententia, varii generis sunt. Alter morbum ut spasmodicum, alter atonicum videbat, ambo medicamenta, inter se diversa, adhibent. Sic Saxtorph \*) summam vasorum debilitatem, atoniam agnovit, & aegras tergo accubare, aquam frigidam aceto mixtam genitalibus adspargere, spongiam aceto vini immersam vaginae applicare iubet, multumque ex usu nitri & acidi vitrioli videt. Nonnunquam haemorrhagiae uterinae eximio usu ipecacuanhae sanatae sunt, & hic status spasticus adfuisse videtur. Nullum remedium ad haemorrhagiam sistendam unquam magis profuit, quam glebae istae, a Le Roux descriptae, e filamentis linteis compactae, aceto humectatae & in vaginam, imo etiam in uterum coactae.

A medicaminibus internis non tantum expectandum, quantum ab externis, ad quae praeter globulos istos, Tampon dictos, liquores omnes adstringentes, aqua frigida, tum ad abdomen, tum in uterum acta, pressiones abdominis lenes caet. numerandae sunt, quae omnes vi sua constringente vasa concludunt & sic haemorrhagiam sistunt.

Exstat insuper & alia haemorrhagarum ad partum causa, sordibus biliosae primarum viarum, quas \*\*) Mohrenheim frequentissimam abortuum causam sumit.

Uterinus hic sanguifluxus est vel externus vel internus, ubi humores ob praecclusum sibi uteri orificium intus extravagantur, nec ad oculo.

\*) Collectan. med. Havniens. Vol. I.

\*\*) Mohrenheim's Beobachtungen 2tr Band.



oculorum adfectum profunduntur, quare hunc ultimum magis periculosum esse quam illum, facile apparet.

Quaelibet haemorrhagia ad partum vehemens, lethalis, eo magis, quo minor humorum massa est parturientis, quo debilius corpus, & quo longior terminus partus adhuc abest.

XXV. Quo magis viribus inter parturiendum destituuntur foeminae, eo infeliciori successu partus finitur. Debilitas haec saepius in urbanis quam rusticis aspicitur, quippe quibus incorruptus vitae cultus ducatur nec luxuria vires prostraverit. Insuper virium prolapsus inter partum in illis plerumqueprehenditur, quas corpus gracile, systema nervosum debile, hystericum habere, constat. Magnus hisce inest de partu subsequente timor, omninoque animi pathemata vehementius in illas agere videntur, ita, ut animus tristis, fractus ad desperationem nonnunquam pellat.

Augentur mala moliminibus naturae ad partum ipsis, quae dissimulare hucusque, spretis hortationibus & minis, supprimere studuit, labori adiuvando sese coactam videt nunc gravida. In hystericis haud nunquam in expellendo foetu tantum robur uteri, tam validas contractiones reperis, quam in robustioribus foemis, & praeterea partus negotium eo difficilius redditur, quod mater perpetuis animi motibus sit exposita, quorum effectus certissime etiam in foetu apparet. Succurrendum huic malo multimodis est, imprimis autem auxilium ferendum ita comparatum esse debet, ut vires eleventur & simul systema

nervo.



nervosum stimulis a foris accedentibus, antispasmodicorum usu, infensile existat, cui fini iuscula leniter aromatica, vini cuiusdam, syrapi cort, aurant. aquae menthae nec non opij porrectio inserviunt.

Quodsi autem nullum horum remedium valuerit, cum potius alia virium prostrationis symptomata superveniunt, syncope caet, tunc quam maxime maturetur & perficiatur partus.

XXVI. Non minus vero ut summa corporis debilitas, ita etiam nimium robur partus negotium difficile reddit. Est faeminis rusticis plerumque vita exercitata, fibrae musculares & tela cellulosa durissimae, compactae, diathesis sanguinis phlogistica, quare & orificium uteri difficiliter dilatatur & suam iustam extensionem pati nequit. Quodsi autem partus opus quodammodo longinquum nunc evadat, partes genitales pressione & irritamento intumescere, inflammari & exitum foetui praepediri posse, neminem fugere potest. Non modo enim vagina & pudenda externa inflammantur, sed interdum etiam totius uteri substantia corripitur, eius adeo vicinitas, vesica urinaria, intestina caet. Quare venaesectio & methodus cetera antiphlogistica requiritur, & raro foetum integrum, hoc casu urgente, remanere posse, persuasus sum, nam pro hac sententia primum inflammatio ipsa, ardor & tumor uteri & ex his coarctatum foetui spatium, deinde febris, cui mater semper exposita est, humorum ad uterum derivatio, & denique sanguinis natura, inflammatione mutata, certant.

Inflammari autem uterus non solum quibus corpus reliquum robustum, fibrae tenaces sunt, potest, sed etiam multae aliae injuriae



a foris illatae, inflammationem producere valent. Sunt huius loci praeprimis rudis instrumentorum applicatio saepius repetita, ut vidi, forcipis ingestio, prolapsus uteri & denique pellementium usus.

XXVII. De pellementium usu ad partum maturandum iam supra dictum est, maximumque ex his capiunt foetus damnum, cum omnium humorum moles unice tantum ad uterum deducatur, haemorrhagiaeque gravissimae exoriantur.

Prolapsus uteri secundum plurimorum observationes e partibus laboriosis originem suam ducunt, & ad quemlibet partum dispositio remanet. Nisi foetum detrimentum exinde haurire velimus, cura maxima obstetricatoris opus est. Duo potissimum ex prolapsu pericula foetui imminet, 1) periculum incarcerationis & 2) inflammationis uteri. Avertimus autem, ubi dispositio, prolapsui procliva, novum in partu minetur, si parturientem tergo accubare, ano paulum elato, iubemus, & manu, oleo tincta & in uterum inducta leni pressione hunc retorquere studemus. Dolores nunc, utero in situm sibi naturalem reducto, denuo incipere solent & tunc expectando tempus degi, fas est; quibus vero prorsus cessantibus aut debilibus, velamenta dirumpenda sunt, & versio instituenda est, & manus in utero tamdiu versetur, necesse est, donec incolumi matre & infante partus negotium peractum est.



—

S E C T I O   I I I .

*De vita & sanitate neonatorum conservanda.*

I. Jam ad ultimam tractationis meae sectionem transgrediamur, qua de iniuriis, quibus neonati & paulo adultiores expositi sunt, & de hisce avertendis, agitur. Nolite vero expectare, ut omnium morborum istorum, qui infantilem aetatem comitantur, mentionem iniicere, eorumque diagnosin, prognosin & medelam tractare vellem, sed potius animus mihi est, ut doceam, quomodo infantes sani, sani conservari possint, & quomodo iis ab iniuriis quibuslibet externis cavendum sit; nec multum eius, quod circa medicum versatur, adiungam.

Sub infante sano iutelligo, qui, caeteroquin quos aeris usus, nutritionis permutatio, circulationis sanguinis variatio & alia producunt in corpore effectus, valetudine laetissima gaudet, nec vitio ullo laborare videtur. Haec vitae pristinae cum vita libera, independente, mutatio, multa secum fert, quae nova prorsus & aliena in toto corpore infantis proferunt phaenomena, quaeque, uti vitae novae degendae necessaria, ita morbis multis & a statu sano aberrationibus ansam praebent. Quare periodus, quam ineunt tenelli, maximi aestumanda est momenti, de vita ac morte saepius decernens. Hucusque foetus inclusus, nunc homo progreditur, oritur organorum actio & reactio, omnes secreciones & excretiones primordia capiunt, viae sanguinis circuitui alienae sternuntur, alimentum e fonte, pristino prorsus alieno, haurit. Nec mirum videtur, quod ad tot tantaque rerum discrimina mortalitas maior quam in alia vitae periodo sit; praeterea cum tenelli ipsi graciles aetate sensus



sensus suos de aegritudine, loquelae adhuc expertes, edere queant, & cum nondum ad eam de corpore infantum notionem, ad eius morborum medelam iustam peruentum sit. Nihilominus tamen ultimi hi anni viginti magna in cognoscendis & curandis infantum morbis fecerunt, & spes maioris insuper fortunae efflorescere incipit.

II. Post exeeptum ab obstetrice infantem & in sinu per aliquot temporis momenta retentum, prima cura habeatur, ut petuita ex ore digiti ope eiiciatur, quo melior respiratio succedat, nec huic impedimentum opponatur. Nonnunquam autem fauces & partes respirationi infervientes mucore ita obductae sunt, ut vix vocem edere valeat natus, inest arteriae asperae, laryngi, pulmonibus torpor quam maximus, organa respiratoria opprimens. Quare, nisi morte suffocatoria interdum arripi infantem velimus, omnia quodammodo excitantia, stimulantia & a pituita liberantia adhibeamus, ut irritationem faucium & narium cum pluma, sternutatoria &c. quae mechanismo suo, partim squalem tenacem inhaerentem solvunt, partim respirationem movent, & denique materiem obstruentem ipsam adimunt.

III. Simulquam caput infantis prodire incipit, obstetrix manibus arripit, & ne corpusculum glabrum, lubricum elabatur, lintea in promptu sint, quibus melius recipi & obtineri possit. Infante in gremio reposito, alterum negotium obstetricis circa funiculi umbilicalis deligationem versatur, in qua ipsa multa consideranda veniunt. Veteres non prius funem umbilicalem deligabant, donec & secundinae editae erant; sed incerta de earum retentione notio, haemorrhagia interdum



dum gravis accedens & alia, ligationem statim post partum, expectata tantum arteriarum umbilicalium pulsationis absentia, postulant. Desecamus relicto inter ligaturae locum & ventrem duorum aut trium pollicum spatio, ita, ut nec nimium stricta nec laxa sit ligatura. Amputatio ope forficis, male cultri aut aliorum instrumentorum ope fit, cum ob partem & viciniam tam irritabilem facile iniuriis exponatur infans. Dissectio unius vel duorum pollicum a ligatura intervallo instituitur, & paucis sanguinis, qui intus erat, guttulis impressis, funiculi remanentis pars ad abdomen superius reponitur, fasciaque uno eodemque situ obtinetur. Fasciam omnino qui laudant, id intendunt, ne umbilicus e loco suo lapsus, pressione & distractione partes subiacentes laedere & inflammare possit. Duplex autem in applicanda fascia committitur error, dum partim nimium laxa partim nimium arcta imponitur. Qui arcte insigunt, non spectant pressionem partium subiacentium, inflammationem & suppurationem, quibus dolores infanti eveniunt maximi. Laxitas umbilici efficit, ut pendulus semper in unum alterumve latus agitetur sicque ventrem irretet. Unguenta omnia, olea caet: ad vulnus illinita, superflua. Non raro aetate infantili herniae umbilicales apparent, quae forsitan e rudi in deligatione umbilici, obstetricum tractatione ortum ducunt, quibusque avertendis fasciae illae magni pretii sunt.

IV. Oblinita est cutis neonatorum mucro semper & sordibus, quae partim e liquoribus amnii, partim in exitu per genitalia, partim etiam propria cutis excretionem ibi repositae sunt, quare tertia, quam gerat obstetrix, cura, in purificandis & ablucendis sordibus consistit;

cui



cui fini balnea tepida destinata sunt. Sordes cutaneae saepe arctius inhaerent, praecipuis in capite, collo, in parte humerorum & femorum interna reperiuntur, quae, nisi mature removentur, posteaquam acrimoniarum variarum formam induentes, vitii multis ortum exhibent, quam ob causam ablutione impuritatium & frictione una cum hac coniuncta, opus erit. Frictiones instituuntur aut manu aut linteo, si tenaciter obducta cutis est, dissolutione saponis in aqua, quae sordes removent, in omnia organa ut stimuli agunt, irritabilitatem denique augment. Nec non aliud e frictionibus commodum sperandum, dum ventriculus, ventre vola manus saepius fricato, ad contractionem & vomitum irritatus, a meconio suo liberatur. Denique etiam repetitus frictionum usus circulationem humorum movet, aequalem sanguinis per totum corpus distributionem producit.

Balnea aut mera aqua constant, aut intermixta sunt adstringentia, spirituosa, aromatica caet., uti pro varia corporis constitutione requiruntur. Si e. c. infans debilis, infirmus esse videtur, quod aut mater gravida admodum debilitata fuerat aut partus opus diu duraverat, haemorrhagiae uterinae antecesserant, ita, ut imbecillitas corporis infantis praesumi possit, tunc balnea ista composita commendanda sunt. Tenetur infans inter abluendum, dum ano & pedibus vaso, aqua impleto adiacet, sed tamen hoc modo, ut tergo sensim sursum verso, caput infantis manu sinistra suffultum, paulo supra aquae superficiem promineat, ne huiusce quid ad fauces devehatur: iam impositi balneo fricat obstetrix manu sua artus, ventrem, & sic omnem viscidam materiam



teriem inhaerentem detergit. Haec foridum ablutio absolute est necessaria, quippe sine qua insensibilis illa, ad corporis salubritatem adeo necessaria transpiratio succedere nequeat, & haec lotio sub forma balnei tuta, & omni periculo caret.

V. Nonnunquam neonati ita debilitati prodeunt, ut extinctam iam videntur, & obstetrices de morte facile sibi persuadeant. Si corpus autem infantis caeteroquin firmum, si eiusdem status graviditatis tempori conveniens nec vitio ullo laborare videatur, nisi putredinis odorem circumfundat partus, tum de vita infantis non desperare, & mortem tantum simulatam adesse, credere, fas est. Post protractos partus labores & protractionem infantis artificialem, ubi huius integritas quodammodo male adfecta habenda, haec mors simulata timenda est, aequae ac si organa respiratoria torpore quasi sopita, pristinae vitae memores, adiacent, si mucor haec obducit, difficilesque novo subeundo negotioprehenduntur. Optime hic omnia excitantia iuvent, imprimis inter lavandum subministrata, ut L. a. m. H. spir, C. C. succin, caet.

VI. Quae cum ita sint, infans mox manus obstetricis linquet. Traditur nunc ancillis, nutricibus & incipit periodus, a qua omnis vitae posterae salus pendere videtur. Magnum vero matribus intercedit discrimen, dum altera statim post ingressum lactis in mammas, altera, forsitan aliquot dies post partum, mammas infantem imponat. Nihil sane tam opportunum recens nato & corporis conditioni sic accomodatum videtur, quam lac primum puerperarum, quod praeter partem serosam



principio quodam salino, huic infuso, pollet, ideo vim purgantem habet. Purgatorium per os aut alvum neonatis convenit, quorum intestinalia faecibus, tenaciter adhaerentibus, ita obducta sunt, ut sponte per raro evacuentur. Nisi evacuationes mature instituuntur, gravissima exinde mala, totius corporis machinam destruere visa, oriri solent. Eiciuntur impuritates optime aut lacte materno, statim post eius in mammam ingressum, educto, aut medicamentis, emeticis, leniter purgantibus ut melle, saccharo, aqua bened. Rulandi, syr. cichor, c. rheo caet.

Plerisque, praecipue humilioribus foeminis usitatissimum olim erat, omne ante baptismum infanti denegare alimentum, & hanc ob fidem erroneam per aliquod dies, absque lacte aut alio nutrimento capeffendo, infantes adcubabant.

VII. Statim post partum tenelli fasciis involvuntur & totum corpus in vestimenta cogitur. Negligentia & ignorantia iusti harum fasciarum usus multa damna infantibus inferunt, quae temporis progressu, malorum variorum causa habenda sunt. Adiacet ibi, non sui compos, mentis expertus partus, solummodo auxilio humano fretus, viribus magis destitutus, quam aliud animal; quare Buffon sic ait: Ein Kind ist hilfloser, wie jedes andere junge Thier. Sein ungewisses Leben scheint jeden Augenblick in Gefahr zu schweben. Es kann seinen Körper weder bewegen, noch aufrecht erhalten, hat kaum Stärke genug zu leben und durch Winseln die Schmerzen, die es leidet, anzuzeigen, gleichsam als wenn die Natur die Absicht gehabt hätte, das junge Kind da-

von



von zu unterrichten, das es zum Elende gebohren sey, und das es nur deswegen unter die Menschen gezählt werde, um an ihren Kummer und Schwachheiten Theil zu nehmen. Hanc ob imaginem, quae & veri & falsi quid tenet, ob miseras, quas infans, sibi ipsi liclus, subire cogitur, aliorum cura opus est: & cum cutis, organon recens natorum admodum sensile, nuda sit & inoperta, huic velamentorum ope ab aere externo & aliis iniuriis cavendum est; quare quidem adaptatum videtur, vixdum enixos fasciis involvere infantes, sed tamen ab altera parte ex harum abusu multa incommoda proficiuntur.

Patet ex plurium peregrinantium relationibus, omnium fere gentium liberos, exceptis Europaeis, non linteis adstrictis circumdari, non fasciis ligari, & tamen corpore compacto, forma perpulchra incedere. Detrimenta, quae infantum corpuscula ex nimis arcte fasciis concludendo capiunt, varia sunt, & nihilominus tamen fortassis longum adhuc temporis spatium requiritur, usque dum matres sint convictae, pro bono & erecto corporis habitu non fasciis opus esse. Quis quae so non intelliget, respirationis negotium ex hac constrictione valde opprimi, circuitum sanguinis praepediri? Abdomen ipsum comprimunt, debilitantur digestionis functiones, generantur impuritates intestinales & ex his alia mala innumera. Caeteroquin superficiem corporis externam ita compressam adspicientibus, nonne de perspiratione facile pervertenda cogitatio nobis oriatur? Halitus, quos perpetuo cutis exspirat, fasciae excipiunt, hi resorbentur, & si amplius resorberi neque-



queunt, cutem cingunt, formamque sordium induunt, quae iterum a vasis inhalantibus receptae, humorumque massae admixtae, acrimonia- rum variarum sub nomine, varias in corpore a statu sano aberrationes produciunt.

VIII. Mundities infantum primum, quod omnem nostram attentionem meretur, & praecipuum esse debet, cum adeo gentium inculcissimarum prima in hac cura sit. Faeminae aliarum gentium neonatum fasciis non obsidunt, sed linteis, laxae adhaerentibus, repositis infantibus in pendiculis, quae Hangematten dicunt, id efficiunt, ut non modo ab immunditie conserventur, sed etiam nullis vinculis membra arcentibus, secundo aut tertio post partum mense infantes reptantes, pedibus uti queant. Insuper, quando damnorum, quae ossibus, praecipue pelvi inde suboriuntur, mentionem facimus, cuique fati de earum usu pernicioso erit persuasum, Arcta enim in fascias implicatione fit, ut tenera, praecipue pelvis ossa, nondum sat roboris nacta, & per ligamenta facile desidentia, compingantur comprimanturque, quo ita coalescunt & congerminant, ut diameter mensurae imminuatur & tota pelvis vitiosa reddatur.

His noxis inducti, permulti iam methodorum novarum mentionem iniecerunt, & sufficiat, ut hic tantum fasciam istam a Venel \*) inventam, tangam. Constat autem ex linteo, cuius pars superior latitudinem partis inferioris superat, Longitudinis modus cubitum, & efus

\*) Unterricht für Hebammen, p. 193.



eius dimidiam partem latitudo excedit. Margines in plicam obvoluti esse debent, ad quam, intermissis spatiis, trahae annexae sunt. Undi-  
 quaque haec fascia infantem ambit, nec liber & iustus membrorum  
 usus impeditur. Inter omnes fascias haec mihi optime placuit, & ob  
 suam simplicitatem multa commoda exserit.

Primarium parentes infantum involutione tendunt, ut facilius,  
 absque omni partium mollium pressione & laesione, sustinere possint  
 hos, nec infantes manuum aut aliorum membrorum agitatione sibi ipsi  
 noceant. Sed, ut credo, hic finis nullo modo in fascia supra descripta  
 negligitur, & persuasus sum, eadem facilitate teneri posse pueros,  
 dummodo ancillae aut nutrici dexteritas huic negotio quaedam inest.  
 Magnum ex fasciis, quibus vulgo utimur, detrimentum, eo constat,  
 quod omnes eae partes, quarum altera alteram premit & fricat, facile  
 inflammantur sensusque dolorificos reddunt. Accidere hoc praecipue  
 inter femora & nates, subter humeros caet, solet, ubi partes mol-  
 les sese invicem tangunt, motu liberiori denegato, fricant. Superau-  
 gentur haec incommoda immunditiae impuritatibus, quae in his locis  
 maiori semper copia colliguntur, ita, ut ex hac negligentia & igno-  
 rantia melioris morbi exoriantur. Succurrendum huic malo lotionibus  
 frequenter institutis cum aqua frigida, adspersione pulveris *seminum*  
*lycopodii*, foliorum *rosarum siccatorum* caet.

VIII. Cum mater partus negotio sit admodum debilitata, non  
 statim infantem ad mammas ponere audeat, sed potius viribus somno



& esca regeneratis, mammas praebet. Conditur itaque infans, vestimentis cinctus, cunis, tegitur pulvinaribus, conquassantur & agitantur cunabula, cantu suavi interdum delectare studet ancilla. Sic hodierni mores volunt, sic agitur in puerperarum domiciliis: sed quis quaeso Vestrum hoc animo tranquillo intueatur?

Primum, quod nunc committitur vitium, hoc est: liberi, in cunis repositi, nimia culcitarum plumeorum mole teguntur, falsa opinione, calorem auctum infantibus convenire, corpori ab aeris externi iniuriis caveri debere. Calor iustus, quem absque ullo detrimento suscipere possunt neonati, quam maxime illi aequalis sit, necesse est, qualem utero adhuc inclusi habuerunt, quam ob causam moiori iure situm & decubitu iuxta matrem, propinquum eligerem, quia praesumi potest, eadem, qualis in utero fuerat, temperatura, & nunc adhuc matri inesse & ad partum suum transferri. Quam calor, supra modum auctus, in corpus tenerum efficaciam habeat, ex anxietate, respiratione infantum, cunis conditorum & pulvinaribus tectorum, difficili aspici licet; nec sufficere haec parentibus quibusdam sanitati infantum conservandae videntur, quare fornacem insuper calefaciunt, portas fenestrasque ocludunt & omnem aeris liberi ingressum impediunt.

IX. Ex hoc iuxta matrem decubitu aliud praeterea crescit commodum, quod nempe perpetuis cunarum agitationibus infans non sit expositus, quae in corrupenda corporis machina vim sane haud parvam exerunt, eo magis, quo imbecillior tenellus, & quo vehem-

tio-



tiores hae conquassationes sunt. Inter somnum enim omnes partes sopitae quasi adiacent, adest fibrarum relaxatio, ligamentorum, laxa ossium cohaesio, nec mirum, quod minimum iniuriae laedere possit; & nullus sane dislocationis ossis cuiusdam e capsula sua possibilitatem negabit.

Fuerunt, qui stupiditatem, infantibus quibusdam peculiarem, ut agitationum cunarum sequelam agnoscerent, & nisi hoc contendere omnino vellem, persuasum tamen mihi habeo, cerebrum, infantibus admodum molle & infirmum, male affici & incolume remanere non posse. Cunae agitantur vel ad latitudinem vel ad longitudinem, & in ultima hac agitatione plura consideranda veniunt quam in altera, cum in circuitu sanguinis, nunc ad superiora ruentis, nunc iterum ad inferiora revehentis, maxima exoritur turbatio. Intestinorum thoracis & abdominis, mox in unum mox in alterum latus actionem, *forſan etiam in* respirationis & digestionis negotio mutationes producere, credibile est, praecipuis si liberi statim post partum, repleto ingestis ventriculo, reponuntur. Frictiones e conquassationibus cunabulorum repetitis, partes molles irritant, praecipue si fasciae scabrae, horridae, e lana fabricatae sunt; sanguinis circuitum augent & humores ad partem irritatam trahunt, unde inflammationes caet.

X. Cum organa neonatorum sensoria valde sint debilia & irritabilia, ex se patet, cur, ut omnis e domiciliis removeatur strepitus, oporteat, Cuiusque stimulo recipiendo admodum faciles: quare cla-



mores, risus & alia strepituum genera vehementia e puerperarum domiciliis avertamus; adeo solis radii, lux clavior, & perplura alia, sensuum aciem in se trahentia, nocere visa sunt. Terroribus magna in neonatis vis est, & constant exempla, quibus, infantes terrore, etiam in somno imaginario, interemptos fuisse, declaratur.

Observanda interim quaedam sunt, quorum mentionem hic optime fieri, cenfeo. Usitatissimum foeminis est, liberos suos vigilantes, quamdiu tranquillitas animi admittat, cunis acquiescere sinere. Infantes, equidem ac nos, suam de rebus externis sensationem percipiunt, & simulquam invenerunt, quae attentione digna aestumant, totis oculis & mente inhaerent, per longinquum temporis spatium tali oculorum acie & directione intueri possunt. Secundum hunc autem varium, diversorum obiectorum situm & indolem, oculi varias perpetuo rei unius eiusdemque intuitu directiones nanciscuntur, nec mirari debemus, ut strabismi tot genera & alia oculorum vitia in liberis frequentissima reperiamus. Quam ob causam optimum medici meritum in melioris eruditione positum videtur, & uti diversae rerum circumstantiae prae se ferunt, de hoc vel illo dissuadeat, hoc vel illud suadeat. Iuvant repetitus saepius & mutatus in uno aut altero latere situs, remotio rerum externarum, omnem oculorum intentionem nimium attrahentium, imprimis autem in tergo decubitus vituperandus est, quocirca cunas istas, quarum pars superior tecturam habet, magis laudem, quam quae a partibus omnibus apertae sunt.



XI. Sequitur nunc, ut de nutritione liberorum loquar, cum maximi gravissimique in hac committantur errores, qui magnam in vitam posteram vim habent. Nutritur tenellus prima aetate lacte aut matris ipsius aut nutricis. Lac autem merito praecipuum & quasi universale constituit alimentum, quia & potum simul & cibum suppeditat, ventriculo arridet; & hoc sine a numine superiori ita statutum est, ut statim post partum lactis copia in mammis accumuletur.

Summa cura parentis igitur esse debet, ut vitae suae cultu lac generetur purum, temperatum, cuius benefica natura infanti proficiat. Exactissima saecimnis inter graviditatem observetur diaeta, & ciborum selectus ita comparatus sit, ut infantibus nullum e lacte inferatur detrimentum. Vox naturae voluit, ut primum nutrimentum infantibus lac inserviat, & summum parentum erga liberos officium & pietas in hoc bene conservando consistit. Matrem ipsam liberos suos nutrire, naturae leges, datis mammis, lactis officinis, secum ferunt; mores tantum corrupti & pravi hodierni nutrices conducendas constituunt, dedecus quibusdam, si ipsae lactant infantes. Sed quilibet facile de incongruo persuasus erit, voluptatem tantum cogitans, quam mater, partum suum nutriens, capiat, necesse est. Sufficiat, ut verba auctoris \*) libri cuiusdam propria adducam, in quo mater quaedam sic ait: Die Natur hat den Weibern die Pflicht auferlegt, die wir, wenn uns nicht Unvermögen davon abhält, erfüllen müssen, wir mögen Hir-

\*) Theodors glücklicher Morgen.



tinnen oder Hoheiten seyn. Schön bin ich nur alsdenn, wenn ich als Mutter schön bin. Mein Kind soll mich einst im vollem Verstande, mit vollem Rechte Mutter nennen. Ich will die Freuden, welche mir die Natur gönnet, nicht undankbar an ein fremdes Weib verschenken, das sie nicht zu schätzen weis.

Parentes certissime optant, infantes imaginem suam referre, & qui quaeso hoc fieri possit, nisi ipsae ubera praebeant, cum notum sit, lacte simul & caeteras animi & corporis virtutes infantibus tradit? Alieno lacte nutriti, ut plurimum degenerant, & ad nutricium naturas naturalisunt. Sic Wirdig loquitur \*) ex lacte & spiritibus nutricum adsument naturam & mores nutricum: lacte humano cicurantur ferocissima animalia ob spiritus temperatos, quos una cum lacte fugunt, ut contra homines ferino lacte educati ferini fiunt & feroces (ut Romuli testatur exemplum & Remi.)

Praeter haec quando pensitamus, quae nutricibus insunt, mala & vitia, ad infantes transferri, una cum lacte & corporis corrupti dispositionem a liberis excipi, dispicere licet, cur nostris temporibus inter infantes tam prava & corrupta corpora reperiantur. Serpet venenum venereum a nutrice ad tenellum, incidit mature, aetate infantili, aut feriori in eosdem morbos, quibus nutrix erat adfecta. Non modo hoc de morbo venereo tantum, sed etiam de alia ad morbos quosque dispositione valet.

Nu-

\*) in med. spirit. L. I. cap. 25. §. 6.



Nutrices cum inter levissimum & dissolutum hominum genus sint numerandae, cum quaestum corpore faciant & victum sibi meretricando concilient, cum unum idemque sit, cui pro pretio oblato sese dent, nec salutem respiciant, non mirum videtur, quae sint nutricum morum & corporis depravati causae, qui eveniat, ut infantes absque parentum culpa in perniciem praecipitentur. Ex his elucescit, quanta matribus, quibus infantum salus cordi est, in eligendis nutricibus habeatur cura: nollem enim utique reiiciatur nutricum usus, sed tantum, prout rei natura prae se fert, limitetur. Quare ut officium matri, de dispositione ad morbos quadam, de corporis infirmitate persuasae, imponatur, ut ab lactatione ablineat, & nutritionem infantis nutrici tradat.

Haec de praesentia lactationis matris ipsius & de nutricibus; propius nunc ad rem veniamus, & ostendamus, quae sit iusta methodus & quis sit modus, quo infantes in lactis potu sani & incolumes sint conservandi, simul etiam de erroribus quibusdam, qui circa lactationis negotium versantur, sermonem faciamus.

XII. *Quantitas sugendi lactis determinari exacte nequit.* Non placet, si mulierculae pro lubitu infantibus mammas praebent, & forsitan etiam vocem & clangores eorum ut signum naturae, nutrimentum postulantis, sumunt. Praeter necessitatem ventriculum lactis copia implent, ad quod digerendum vires desunt; & eius corruptioni manus dant. Facile enim lac, praecipue si diaeta nutrici incongrua



degitur, si viscera, digestioni inservientia, antea fuerunt debilitata, & copia lactis nimia ingeritur, flagrare & in acorem abire incipit, corporisque machinam destruit. Hauriunt ex hoc fonte plurimi infantum morbi, cruditates, affectus nervosi, ut tetanus, epilepsia caet. Exoptandum magis esset, quam maxime mature certae cuidam diaetae addici infantes, ita, ut tribus aut quatuor per diem vicibus ad mammas rependantur. Et quamquam difficultates in hac exercenda initio appareant, quamquam clamore magno infantum matres perductae in misericordiam commoveri facile queant, attamen credere fas est, hanc vim in consuetudinem mox verti, ordini huic ita assuefieri pueros, ut ne minimum quideam desiderii, excepto tempore solito, & sugendi cupiditatis ostendant. Fides matribus atque nutricibus inest, clamorem liberorum famem & sitim indicare, & tunc tempus esse, ut huic sensui ingrato succurratur, monendum tamen est, infantibus, linguae expertibus aequae atque adultis, rerum gratarum & ingratarum sensationem esse, equidem sentire, gaudere & delectari, dolorem capere & moestitia contorqueri, quam non nisi clamoribus edere possunt. Quare erroneum profus videtur, si ad quemlibet clamorem excitatum potant infantes; & magna ex hac indulgentia oriuntur mala.

Nonnunquam accidit, ut, selectissima diaeta, vel matris vel nutricis lac refrigerio, terrore, moestitia caet. corruptionis faciem induat; abstineant ergo a lactione, quam diu perniciosus illorum in lacte effectus apparet, & ad alia confugeant, quae victum maternum quodam



dammodo substituunt. Idem fieri debet, si mater aut nutrix ad sugendum ob topica mammarum vitia incapax redditur. Ante omnia hoc in casu usui vitri oblongi, cylindrici, primum locum cedo, cuius praerogativam saepius iam sum expertus. Apertura huius vitri, quod tale esse potest, qualia sunt ista, liquoribus bene olentibus destinata, spongiam tenet, quae hanc ocludit & formam papillae prae se fert. Talimode instructum & lacte impletum, infantibus in os imponitur, qui tanta habilitate apprehendunt, ut vix auxilio humano in hoc sustentando opus sit. Nescio ane huic vitro maiorem prae usu nutricum utilitatem tribuam, cum de qualitate & copia ingerendi lactis certi simus

Alia methodus, potum lactis materni aut nutricis substituens, in usu spongiae constat, quae, lacte tineta, infantum ori offertur. Pauperes in usu globulorum ex linteo praeparatorum, lacte immerforum, quos Zuckertils vulgo dicunt, multum ponunt, nec non alii etiam digitum lacte adspargunt & in os inferunt, quem tenelli magna cupiditate exsugunt.

In situ, quem infans inter sugendum capit, valdopere peccatur, nec esset matris attentio. Qui horizontaliter in sugendo tenentur infantes, iis degluttonis negotium admodum difficultatur, & ob contactum organorum, respirationi inservientium, a lacte, nullis nonnunquam vehementissima excitatur. Melius capite elato, nec tergo recubans puer tenetur; non producat mater tenellum ad pectus, sed pectus ad hunc ferat. Porro etiam profus reprobum, quando matres



aut nutrices infantes inter lactandum sopiunt aut in somnum redigunt. Fieri ex hoc vitio nihil aliud potest, quam ut ultimum lactis, e mammis ductum, in ore retineatur, tam diuque ibi remaneat, donec vomitu respuat, aut deglutitur; si deglutitur aut iterum respuitur, optimum, malum, si, ore occluso, retinetur. Est hic fons mortis interdum tam subitaneae, circa quam, heu nimium saepe! medicorum & parentum ignorantia & negligentia versatur, dum modo suffocatorio infantes abripiuntur.

Tertium, quod ex incongrua lactationis ratione manat, vitium, a nutricibus saepissime committitur, quae, nocte dormientes & clamore infantum e somno excitatae, iis, dormiendi cupiditate, mammas praebent, ut, lactantes, securae denuo in somnum incidant. Jam vero & puer, sitive vera satietate aut somno dulci, mammas dimittit, quietique se dat; quare, nisi attenditur, membra infantis tenera laedi, & ultimum, quod e mammis extractum erat, retineri, mortemque suffocatoriam proferre possunt.

Quisque de hoc certas nunc sibi abstrahere regulas poterit, secundum quas nutricum sub oculis & tutela infantem tractari velit; responsis atque opprobriis nullis in posterum sese exponet, si ad certantum tempora, quibus lactent, nutricibus tradit infantes, has vero ab omni, uti mores ferunt, ioco & ludo retineat, quae in puerorum semper damna geruntur.



XIII. Ad gravissimum nunc accedo rei momentum, ad quotidianam infantum lotionem, ad commoda ex usu balneorum, ad incommoda ex eorum abusu & neglectione.

Vix credi potest, quantam vim usus balneorum repetitus in posteræ vitæ sanitatem conservandam exserat, nec iniuria præservatorium a multis morbis dici potest. Eo enim, quod transpiratio cutis insensilis perpetuo sustentatur, quod fibræ musculares & systema nervosum roboris aliquid, eius actio & reactio vigorem accipiunt, corpus durius robustiusque evadit, semina multorum malorum, quæ forsitan seriori demum ætate apparere possint, debilitantur, nec rhachitis, affectiones catarrhales, scabies, podagra, arthritis caet. fundum capere valent. Haud facile aliquis balneorum commoda ignoret, de munditie corporis tantum cogitans, quam perpetuo sustentant, cum sudor, fordium sub forma cutem obducens, ibi colligatur porosque cutaneos deobstruat.

Haud ullum fugit, quanti iam veteres balnea ad sanitatem conservandam aestumarint, & post infortunia aliqua nunc denuo eorum usus efflorescere incipit.

Balnea ipsa aut aqua calida aut frigida instituuntur; & quamquam aquæ calidæ vis quodammodo fibras relaxans videri possit, at tamen certis sub conditionibus optimum roborans existimanda est. Methodus, qua balneis utimur, sequens erit: A prima puerilitate imo etiam statim post partum balnea subministramus, quæ initio aqua calida,



lida, temperiei eiusdem aequalis, quae foetum utero inclusum ambiit, tum paulo tepidiori constare possunt, denique autem, assuefacto corpore, aquae temperies in frigidam abire debet. Aqua vaso ligneo, excavato, paulum oblongo infunditur, in quod obstetrix aut mater aut ancilla infantem immittit, sed tamen ita, ut manu sinistra eum amplectatur & caput erectum cum eadem suffulciat, dextra vero corpus abluat. Nonnullae etiam faeminae liberos suos, gremio adiacentes, spongia, aqua immersa, lavant; primam autem methodum longe praeferam, cum in ista non tanta opus sit cautione, aqua non tam facile disfluat & refrigerium oriatur, corpusque in hac semel & simul fluidis cingatur. Repetendae hae ablutiones quotidie aut singulis per septimanam vicibus, ut corpus durum, varias aeris iniurias perpeti, iisque obviam ire possit; & ne quid finistri valetudini ex usu aquae frigidae putent matres, a primo gradu aquae calidae ad frigidiorum a die in diem ascendere licet; nam qui lente adsuecunt & cum iustis cautionibus repetunt, non contemnendum sanitatis praesidium promittit.

XIV. Quae cum ita sint, prima aetas transigitur, & parentes magna cum voluptate infantes suos increfcere adspiciunt. Traduntur nunc ancillis, quae brachiis gestando pedum usum substituant; securis parentibus per totum diem sic gestantur pueri, insuper tunicis involuti. Sed in hoc etiam gestamine multa occulta latent, quae corpus depravari sinunt & praesertim in deformitate & contortione ossium inveniendae. Quisquae noxas ex hac gestatione assidua intelliget, & videbit, quam



quam alienus & iniquus sit hic situs, praecipue incommoda infanti metuenda sunt, quando in uno tantum brachio perpetuo geritur. Paulo profundius porro inquietudinem, qua liberi lacertis inhaerent, mobilitatem artuum gracilium, laxae inter se cohaerentium, ossium molliem caet. cogitantibus, facile perspectum erit, quod quot quantaque pueri pressione brachii in praecordia, ventrem, mossa pelvis caet. damna capere possint. Ecquando autem eo usque rem poterunt perdere medici, ut ancillae, & quibus infantum cura mandata est, miseris pufillos non amplius, ut vulgo receptum est, pallis amiciant & ad pectus adprimant? Eiulatus infantum & anxia corporis agitatio saepe claro sunt indicio, quam alienus hic situs sit.

XV. Si vix unum mensē superarunt infantes, non lacte solo amplius nutrirī posse, parentes existimantes, ad alia alimenta, variis modis varie excogitata & praeparata, confugiunt; praecipue pulticulas ex pane bis cocto, seu farina, lacte adfuso, offerunt. Valde autem mihi dubium oritur, anne teneriores, praesertim illustrium, ob ventriculi debilitatem, hisce pultimentis probe digerendis apti sint, cum cibi ob glutinosam suam substantiam, ob lentorem, qui inest, fauces & ventriculum quasi conglutinent, nec quid in se stimuli excitent. Praeter haec in lacte plus haeret succi nutritii, quam in farina, & cum tam lento cibo vires non respondeant, extenuatio magis quam incrementum expectanda. Maturō huic ingerendorum pultaceorum usui causam tam frequentis apud infantes morbi, atrophiae, tribuo, & cuique de veritate persuasum erit, pensitanti, quam inepta adhuc sint tenellis



ad talia concoquenda digestionis organa, quam humorum massa, admixtis ex indigestione subortis cruditatibus viscidis, corrumpatur & depravetur. Detrahenda ergo imprimis est pulicula; quam in tenui victu acquiescunt, & solum lacte infantes nutriuntur, neque in atrophiam hanc tam facile incurrunt, neque, si inciderint, de ipsorum salute desperabitur. In universum eo usque cibos solidiores denegarem, donec dentibus infantes instructi, manducare ipsi possunt. Permultae matres, praecipue humiliores, lactis inopia & nutrice ob paupertatem negata, ad usum nutrimenti alius coactas sese vident, nec iniuria praesidium capiunt e pane bis cocto, lacte emollito: de quo vero modicum tantum & pauculum primo adsumere oportet.

*Observatio* XVI. Peccant aliae matres, dum liberis suis fere omnia, quae sibi nutritioni inserviunt, ingerunt, sive carnem, seu iuscula, seu alios cibos; praecipue matres securas circa fructuum solani tuberosi pastum video, e quo autem eadem mala proficiuntur, quae e glutinosorum abusu, ut supra dictum, manant; nec ullum cibum vermes magis exoptant, quam hunc. Dammandam omnino maturationem harum rerum deglutitio, & tum demum caute ingeri possunt, quando dentibus infantes uti valent. Tunc etiam maiori iure legumina proficiunt, paulatimque ad cibos duriores transgredi, fas est. Vermium comitatio, aetati infantili tam peculiaris, maximam in perstruenda corporis machina vim exercet. Non modo autem harum remotio intentionem omnem in se trahere debet, sed etiam ad regenerandas vermes dispositionem tollamus, necesse est, cui fini nihil me hercule! magis respondet, quam reperi:



repetita per aliquot septimanae vices vini acidi porrectio, & vidi, qui, hoc modo praeservati, nullam unquam de vermibus sensationem ingrati ederent.

Inter opiniones de optime sanitate liberorum conservanda haec etiam referri potest, dum omnem infantibus, paulo adultis, carnis mollioris usum detrahunt parentes, & sunt, qui ante morbum variolosum superatum a cibis animalibus prorsus retineantur. Modicum & tempestivum carnis usum, aequè ac iuscula non pingua ex hac praeparata, nullus erit, qui infantibus recusaturus sit, cum maximae alendi vires insint, & facillime in massam humoribus corporis simillimam verti possint; sed hoc potissimum observatu dignum habeo, ne nimium mature huic cibo addicantur infantes, nec prius, quam lac maternum bibere desierunt, & vox naturae, dentibus datis, sic velle videtur.

XVII, His adducor, ut de iusto ablactationis tempore verba quaedam faciam, qua in periodo multum circa vitam posteram decernitur. Tempus opportunum anno primo peracto incidit, quo lac paulatim crassius & tenacius fieri & infantes eius potum abhorreere solent; quare non minus quam antea curiose hi observandi sunt, ne mala, antea evitata, nunc pleno agmine irruant, & certissime persuasus sum, morbos istos, quorum ortum lactis detractio vulgo tribuunt, nequaquam huic, sed potius ciborum copiae istae, quam nunc matres & nutrices ingerunt, mutato victui, adscribi posse. Cibi, qui ingeruntur, novi prorsus & alieni esse videntur, quare non mirum, qui eveniat,



ut corpus hoc in tempore tot turbationum genera patiat. Atrophia infantilis, interdum ablactationem secuta, occasionem dedit, ut eius causam huic adscriberent, sed mea opinione in mutatione potius lactis usus cum alio nutrimento, immodico sumto, quaerenda est, cui si praevenire cupis, lactis esum sensim detrahe, omne nimum in cibis evita, melius, si saepe parum, quam si multum semel & simul ingeris.

Ineptum & incongruum parentibus est, nutritionis liberorum opus ancillis tradere, & ipsos hoc grave negotium negligere. Liberi ob animi inquietudinem & inconstantiam ancillas turbant, earumque iram saepius in se trahunt, quare, quo facilius tranquilli reddantur, cibis variis, duris, & quos libenter appetunt infantes, infarciunt, nec corporis tam gracilem naturam & teneram respiciunt.

XVIII. Uti in omnibus rebus, ita etiam in educatione infantili methodus, secundum quam agatur, observanda est; sit tempus edendi, dormiendi, vigilandi certum & constitutum.

Jam vero de potibus quaedam proferam; de somno & vigiliis postea sermo erit. In potibus infantibus vocem naturae sequentes, non facile in errores incidimus, quippe quae voluerit, infantem, dentibus nunc praeditum, paulatim a lacte abstinere & ventriculum solidioribus adflescere. Omnia hac aetatis periodo manibus arripere, ad os deducere & masticando emollite student liberi. Quo circa nequaquam cibos magis duros denegarem, ita tamen comparatos,

ut



ut iusta cum fluidis insit miscela, ut digestionis facilitati ipsi ansam praebeant, nec humores infestent circulant. Sanguinem optimum praeparari e talibus, quae huic similem quodammodo naturam habent, constat, ut sunt cibi lactei, legumina & olera quaedam, iuscula tenuia caet. Spirituosa nullo modo porrigantur, excepto, quod interdum ob vermium praesentiam vini aliquid offeratur; sua enim in nervos agendi indole, ad tempora quidem excitante, horum debilitatem postea producit, & ad iustum sensuum usum infantes in posterum ineptos reddit. Potus calidi, ut Thea & Coffea ventriculum debilitant, torporem & lentorem in digerendis cibus inducunt: nec iniuria potibus frigidis prae calidis praerogativam tribuere audeo.

XIX. Negari quidem nequit, plus somni aetati infantili, quam feriori convenire, sed tamen plurimae matres in somno nimium inducendo peccare consueverunt. Relaxat somnus corpusculum & ad incrementum habilis reddit, in altera autem parte, protracto per longinquum tempus somno, hoc labefactatur, omnes partes longuorem quandam accipiunt, & dum somnus humores corporis spissos & vasa relaxata reddit, tam corpori quam animo agilitatem detrahit. Quocirca etiam damnandum, si statim a pastu ad somnum, a somno ad pastum infantes coguntur. Probi infantes vulgo a matribus dicuntur, qui tranquilli cunabulis adiacentes, clamore suo eas non vexant, & maximum temporis dormiendo degunt, improbi, qui inquieti ancillarum aut matrum negotia interrumpunt, perpetuo lacertis gestari cupiunt,



piunt, somnumque fugiunt. Quam ob causam aliquando obdormiscere matres cogunt, variisque medicamentis somnum provocant, & sic optatum quidem effectum consecantur, torpidos vero & stupidos infantes reddunt. Exoptandum magis esset, liberos sibi ipsos linqui, donec somnus attentionem omnem in res externas intercipit, & faciliorem somnus affertur, quam liberi interdiu suas sibi convenientes voluptates habuerunt. Quare mature iam aeri libero exponantur, nec sereno tantum coelo, sed etiam obscuro, ut quibuscunque tempestatis variationibus perferendis idonei reddantur.

XX. Incipit nunc aetatis infantilis periodus, qua vires suas incrementales percipiunt infantes, oritur pedibus reptandi, adstandi & incedendi cupido; nec prius matres vexare desinunt, donec ad terram locarint. Est autem matribus mala consuetudo, ut, quando pedibus infantes adstare incipiunt, manibus aut aliis sustentaculis suffultos, circumducant, & quaestio exinde oritur, utrum pedum usus machinarum istarum ope sit discendus, an potius solam naturam in hoc negotio agere, oporteat? Ars vario modo laboriose in hoc sese ostendit, & variae ad instruendum incessus modum atque rationem machinae inventae sunt, quarum usum autem penitus reiiciam, cum exempla haud felicia earum noxas suadeant. Omnes enim integro exinde corpore applicari nequeunt, dum altera hoc, altera illud vitium, quod plerumque in praecordiorum & humerorum a statu sano aberrationibus consistit, refert. Progressus autem ipsi multo periculosiores hoc modo exercentur.



tur, cum infantes, nimium futuris linquentes, postea, quando auxili expertes incedere cupiunt, a spontaneo conamine anxii retineantur.

Ne quid ergo ad ingressum peccetur, ipsis infantibus hoc negotium solummodo relinquatur, quod, si possunt, ex naturali instinctu perficient. Quem in finem pariter pavimentis imponendi sunt, ut commoveri corpus, & rependo quoquoersum exerceri queat: quo brevi tempore fit, ut primo pedibus insistere, deinde progredi discant.

XXI. Vestitus hac aetate non minorem requirit curam, quam iste, fasciarum ope, in tenerioribus, & malam habent matres consuetudinem, ut tenellos, si incedere incipiunt, thoracibus cingant. Peccant, qui pectora nescio ex quo metu gibbosae deformitatis thoracibus stringunt, vix enim inter illas gentes reperiri constat, quibus integumentorum parum est. Fibulatorium, per ligulas constrictum, vim infert ossibus, praecipue pelvis, costis, sterno, stomacho & aliis partibus hoc contectis, unde, praeter ineptiam adstandi & membra movendi inhabilitatem, anhelitus, pallor, palpitatione cordis, vitia coctionis, & ex his variae aliae affectiones oriuntur.

Maximum in vestitu momentum hoc est, ut liberas facilesque corporis functiones nulla culpa sua praepediat; & praepedit vel laxior vel adstrictior: Laxior parum coercet & in officio continet partes, quas fufe ambit, nec actionem solidorum in contenta, quae externo praesidio multum egent, decenter sustentat. Nixus in agendis muscu-



lis cum sine partium tumore non sit, opus est, ut vis quaedam externa, vim internam saepius nimis distendentem, cohibeat & moderetur: & certe in debilibus, in scorbuticis, herniosis caet. externum illud fulcimentum crebrius saluberrimum & adeo necessarium est. At vereor, ne numerus eorum, quibus vestes arctiores plus noxae inferunt, longe maior sit: & damnis, quae inde exoriuntur, nulli cura est. Stricturae tam arctae itaque absint, ne primis functionum tentaminibus vim aliquam habeant, & hac illata, varia sensim partium ministeria aboleant.

Infantibus igitur iusto vestimento, nequaquam artuum functiones praepediente, praeditis, pedum usus concedendus est, sed curandum, ne nimium mature huic adstanti cupiditati cedant parentes, cum ossa, ad tantum robur nondum profecta, actionibus musculorum resistere non valeant, deformitatis faciem aliquam incurrant, eoque modo corporis habitus depravetur. Tempus vero opportunum si quis quaerat, quo ad terram ponendi infantes sint, quo pedum usus concedendus, distincta circa hoc responsio dari nequit, cum de cuiuslibet flatu & viribus corporis ratio semper habenda sit, quodammodo autem vocem naturae sectantes, non facile in errores incidimus.

XXII. Consuetudinum cognitio mirum quantum attentionis parentum meretur, & incredibile, quam facile hominis, praesertim iunioris, consuetudines in corpus agant, ita, ut hisce ad deformitatum & morborum varia genera disponatur. Attendendum enim, quis sit infans



fanti sedendi ratio, qualis incedendi, dormiendi, quemque situm prae aliis ament. Sic e. c. in uno semper alterove latere dormiendo hocce latus vi perpetuo prementi & contorquenti expositum, nec vicissim unum in alterum agere & reagere potest. Edendi porro modus ita fit, necesse est, ut mox sinistra, mox dextra manu cibi ad os gerantur. Denique in confessu vitium quoddam latere videtur, quod nempe, secundum multorum experientiam, fellae istae perforatae, quarum usus tenellis, ut excrementa alvina possint evadere, prolapsui intestini recti ortum dant, dum nates invicem removentur & sic intestinum reatum denudatum prolabitur. Nec vero sessio in hac fella nocere solum videtur, sed etiam alia subfellia id damni habent, quod omnia vim infestantem quandam in ossa admodum adhuc gracilia & mollia exerunt, facillimisque horum distortionibus causam praebent.

XXIII. Ultimum, quod dicendi locus & occasio secum ferunt, in iusta medicaminum adhibitione versatur.

Medicamenta in infantibus vel prophylactice vulgo, vel therapeutice usurpantur. Usus eorum prophylacticus omnino incongruus imo nocivus esse videtur, & matres gravissime sese fallunt, si praesentiam sordium in intestinis collectarum putantes, medicamina alvum ducentia, subministrant: nec minus probem ordinem horum porrigendorum, quem permultae tenent, adeo, ut sanitatem consistere posse, negent, nisi certe semel per mensem alvus purgetur. Non modo superflua haec prophylaxis, sed etiam nociva est, cum intestina exinde valde debilitata, ad sordium colluviem recipiendam tum primum aptiora

M

red,



reddantur. Ab usu medicaminum tam diu abstineamus, donec corporis aegritudo eorum adhibitionem necessariam fecit, nec tum fortioribus sed levioribus locus erit. —

Prostant apud quemlibet in qualibet familia medicamenta, quae domestica vocantur, quaeque ob commoda, in variis affectibus exhibita, sancta conservatione a patre ad ultimam prolem transferuntur. Quamquam horum contra morbos quosdam virtutes beneficas esse, experti sumus, ab altera vero parte negare non possumus, immeritam illis nonnunquam tribui efficaciam, cum morbos permultos, in quos specificae agere ferunt, saepe potius augeri, quam leniri videamus.

TANTUM.



# T h e s e s.

I.

*Petechiae non pertinent ad cutis exanthemata; sed nihil aliud sunt, quam sanguis dissolutus, sub cuticula effusus.*

II.

*Ufus vini quotidianus magis nocet quam prodest.*

III.

*Operatio phimosis & paraphimosis venereae reiicienda est.*

IV.

*Matrimonia militibus concedenda.*

V.

*Febris acuta & lenta nervosa haud proprium februm genus constituent, oportet.*

VI.

*Mercurialia in variolis modo specifico agere, nego.*



VII.

*Adstringentia in haemoptysi raro conveniunt.*

VIII.

*Omnino vis nervorum ad irritabilitatem quicquam conferre videtur.*

IX.

*Consuetudo ista, carceribus iuvenes includendi, in academiis prorsus damnanda.*

X.

*Hydrops plerumque est morbus spasticus.*

---



Göttingen, Diss., 1796-97

ULB Halle

005 303 338

3



sl







DE 1796,1

VITA ET SANITATE  
FOETVVM ET NEONATORVM  
CONSERVANDA  
*DISSERTATIO*

QVAM  
PRO GRADV DOCTORIS  
MEDICINAE ET CHIRVrgIAE  
PVBLICE DEFENDET

*AVGVSTVS HENRICVS GRABENSTEIN*  
GOTTINGENSIS  
*DIE XXII. OCTOBR. MDCCXCVI.*

GOTTINGAE  
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

Farbkarte #13

B.I.G.